ſus, & læſivus; Tum quia non remanebat integer beſſis utpotè diminutus à pleriſque legatis in ſorte, & in ſumma notabili, quæ non minuunt legitimam, ſed ex reliquo beſſe detrahi debent; Tum clarius quia id, quod detractis legatis ex dicto beſſe ſuperat, ſubjacebat uſufructui relicto Violantæ uxori adhuc vegetæ, & quæ filio ſupervixit, adeòut quoad eum adeſſe de facto diceretur læſio in totum, cum nullum penitus emolumentum obtinuerit; Ita enim dici non poteſt, quod Aloyſius filius cum ejus legitima emerit reliquum beſſem ad ejus vitam, ac proptereà iſta ex initio contractus valutari deberet, vel juxta unam opinionem minùs veram, juxta computationem text. *in l. hæreditatem. ff. ad l. falcid.* vel juxta alteram veriorem attentis circumſtantiis ponderatis *d. diſc. 30. de regal.* & plenius, magiſque ex profeſſo *d. diſc. 54. de donat.* ſed potius dicendum eſt, quod emerit jus ejus ſupervivientiæ Violante Matri, & ſic illam fruitionem, quam poſt mortem Matris ſperare potuiſſet ei ſupervivendo, tanquam per ſpeciem illius prorogationis alterius vitæ, de qua agitur *diſc. 3. de regal.* ſive penſionis eventualis recaſuræ poſt mortem Penſionarii viventis, aut inveſtituræ abuſivæ de feudo, vel de feudo pleno, pro quando vacabit, ex deductis *diſc. 1. & ſeq. de penſion. & diſc. 1. & ſeq. de emphyt. & alibi.*

Hujuſmodi verò emptio juris eventualis, & recaſuri, ſive prorogationis alterius vitæ poſt ceſſatam illam poſſeſſoris longè diverſum, longeque minùs ex communi uſu habet pretium, adeòut attenta præſertim nimium exili complexione, parumque perfecta valetudine dicti adoleſcentis, nimium carum pretium fuiſſet ſolvere ad rationem decem pro centenario; & per conſequens læſio videbatur palpari manibus.

8 Duabus quoque aliis circumſtantiis concurrentibus, ex quibus idem pretium diminutionem pati debebat, juxta ponderationes, de quibus *dict. diſc. 30. de regal.* ubi quod ex multiplicatione onerum, & periculorum reſultat diminutio pretii; Una nempè, quod hæc bona cadentia ſub fideicommiſſo etiam vivente dicto Aloyſio ſubjacebant detractionibus dotium fœminarum deſcendentium à Teſtatore tam per medium ipſius Aloyſii, quàm etiam per medium duarum filiarum ejuſdem Patris in vim *Auth. res quæ, C. commun. de legat.* Et altera, quod neque certitudinaliter iſte implicitus contractus emptionis, & venditionis cadebat ſub integro beſſe, adeòut ſolùm triens legitimæ dicendum eſſet pretium proportionatum emptioni d. beſſis vinculati, dum idem Aloyſius hæres gravatus habere poterat prætenſionem alterius detractionis Trebellianicæ; Nil obſtante, quod iſta eſſet expreſsè prohibita, quoniam eſt ſub magna quæſtione inter DD. an iſta prohibitio fieri valeat filiis primi gradus, ex plenè collectis per Andreol. *controv.* 1. Quamvis enim ſupra, *diſc.* 32. firmetur probabiliorem videri opinionem affirmativam; Attamen cum contrarium latè probent relati per Andreol. ubi ſupra, & alii ibidem relati; Hinc ſequitur negari non poſſe quin punctus eſſet dubius, & diſputabilis aliquam recipiens æſtimationem.

In idem quoque conferre obſervabam concluſionem, de qua *diſc. 42. de teſtam. & diſc. 134. & ſeqq. de fideic.* ut teſta-
9 tori non detur facultas gravandi hæredem in bonis propriis niſi ad limites emolumenti.

Concludebam itaque inanem videri adeò magnum laborem per Scribentes hinc inde adhibitum ſuper cumulo con-
10 cluſionum, & authoritatum, ut pro majori frequentia hodie ſequi videtur, cùm deciſio penderet potiùs à facti circumſtantiis, ut ſuprà; Ideòque ſemper magis edocemur, quam evidens ſit error, magnuſque abuſus modernorum pragmaticorum non reflectendi cum debito diſcurſu, vel ratiocinio ad factum, ſed evagandi in hujuſmodi inutilibus ſuperfluitatibus.

AVENIONEN. LEGITIMÆ.

Reſponſum pro veritate ſuppreſſis nominibus.

De eadem materia, an ſcilicet, & quando dicatur prohibita legitima, ut in reſtitutione fideicommiſſi detrahi non valeat.

S U M M A R I U M.

1 *Facti ſeries.*
2 *Anjus rejiciendi onus à legitima tranſmittatur ad hæredes.*
3 *Quando dicatur adeſſe prohibitio legitimæ, nec ne.*
4 *Prohibitio in uno caſu non debet extendi ad alterum.*
5 *Quod iſta ſit quæſtio potius facti, & quomodo decidendi.*
6 *Quomodo Advocati debeant ſcribere, ſuumque officium exercere.*
7 *De qualitate, & operatione præſervativa.*

D I S C. XXXVII.

HAbens Teſtator duos filios, unum hæredem inſtituit particularem, in quibuſdam bonis, & juribus magni valoris, alterum verò hæredem univerſalem, cum fideicommiſſo reciproco inter eos in caſu mortis unius eorum ſine liberis, declarando, ut dicto hæredi particulari id cederet pro legitima, & omni alio jure, prohibendo, nè aliud ab ejus hæreditate, etiam ex cauſa legitimæ, vel ſupplementi petere poſſet, atque ſequuta Teſtatoris morte, occaſione conſequutionis dicti legati, inita eſt inter fratres concordia, in qua expreſſa reſervatio facta eſt fideicommiſſi per Patrem ordinati, ut ea non obſtante in ſuo integro eſſe, vel ſtatu remanere deberet. Cùmque ſequuta morte dicti hæredis particularis ſine liberis ſcripta hærede uxore, frater ſuperſtes peteret reſtitutionem dictorum bonorum, exciperetur autem de detractione legitimæ, hinc ex parte ſubſtituti, Partium nominibus ſuppreſſis deſuper pro veritate conſultus fui, atque in notula tranſmiſſa pro detractionis incompetentia præcipuum conſtituebatur fundamentum in aſſumpto, de quo *deciſ. 200. num. fin. part. 14. recent.* ubi concor- 2 dantes recenſentur, quod jus rejiciendi onus à legitima ſit perſonale ipſius filii, quatenus ejus animum declaret, non autem hæredis præſertim extranei, ipſo in vita non conquærente. 1

Contra requirentem reſpondi tanquam in caſu pro meo 3 judicio omninò plano, quoniam non intrare dicebam quæſtionem, de qua ſupra, *diſc. 16. cum ſeqq.* an ſcilicet, & quando acceptatio paternæ diſpoſitionis continentis onus fideicommiſſi, cum prohibitione detractionis legitimæ præjudicet, nec nè, abſque ejus individua mentione, quod pendet à puncto, an adhibita dicatur illa cautela, quæ vulgò Soccini dicitur præcisè, vel in æquipollenti, quoniam in facti ſpecie nulla dignoſcebatur prohibitio, adeòut quæſtio ceſſaret in radice, dum prohibitio non erat in caſu reſtitutionis fideicommiſſi, & ne ex bonis reſtituendis detractio fieri poſſet, ideòque percutiebat primam aſſequutionem faciendam ab ipſo legatario, ſeu hærede particulari, ut contentus bonis ſibi relictis, in ipſa imputare deberet legitimam, juxta diſpoſitionem juris; ac proptereà fuit expreſſio ejus, quod de jure inerat, cum dubitandi ratio cadat in iis, quæ inter vivos per parentem filio dantur, non autem per ultimam voluntatem, ut in præcedentibus pluries habetur; Sed non exindè inferri poſſe dicebam ad hanc 4 aliam ſpeciem prohibitionis per Teſtatorem nullatenus factam, cumque verſemur in odioſis, & prohibitoriis, danda non eſt extenſio, vel inductio per ſubauditos intellectus, potiſſime in legitima habente hoc privilegium, ut ſpeciali nota digna ſit.

Hinc advertebam extraneam eſſe quæſtionem, de qua *d. deciſ. 202. part. 14. recent.* ac etiam ſupra, *diſc. 17. num.* 11. 5 *& diſc. 18. nu. 9.* an ſcilicet facultas rejiciendi onus à legitima tranſmittatur, nec nè, ubi filius vivens non conquæratur, dum ita ceſſabat occaſio diſputationis ex facto, ac proptereà eſſet potiùs ſuperflua, & damnabilis evagatio, cum inutili labore, ac inutili repletione chartarum, quamvis pro moderno nimium quidem damnabili, ac irriſione digno ſtylo id frequenter cernatur. Nihilominus advertebam, quod ſenſus, vel praxis Romanæ Curiæ videtur in contrarium, ut inſinuatur ſupra, *d. diſc. 17. & 18.* non obſtantibus motivatis *d. deciſ. 202. part. 14.* quoniam in hac parte non eſt deciſio, ſed inſinuatio voti, vel motivi unius ex Judicibus, rectè in eo caſu motivantis, ob particulares circumſtantias, ob quas ſilentium, vel acquieſcentia magnum præbebat argumentum, ut advertitur *d. diſc. 17.* edito in eodem præciſo caſu *d. deciſ. 202.* & tamen in alia deciſione confirmatoria impreſſa *eadem part. 14. recent. deciſ.* 254. iſtud motivum involutum fuit ſub ſilentio, ac proptereà non videbatur, quod in dicta deciſione conſtitui poſſet fundamentum.

Revera tamen, licet iſta quæſtio pluries habeat authori- 6 tates hinc indè relatas per Capyc. Latr. & alios inſinuatos *eodem diſc. 17. & 18.* & per Conciol. *allegat. 42. num.* 39. & Argueli. *deciſ. 63. repetit. deciſ. 318. num 6. part. 10. rec.* potiùs dicendum videtur, ut illa magis facti, quàm juris quæſtio ſit, ut proptereà intret conſuetus error procedendi in abſtracto cùm litera, vel cumulo authoritatum, contendendo cuinam major aſſiſtat copia, cùm veriùs pendeat ex facti qualitate, & circumſtantiis, ex quibus deſumenda eſt præſumpta, & veriſimilis voluntas circa ſilentium, vel non impugnationem, an ſcilicet fuerit ex inadvertentia, quia ſperabat caſum ſubſtitutionis non eſſe eventurum, aut quia non adfuit probabilis occaſio hanc voluntatem explicandi, vel quod tanquam certus de jure ſuo, credidit hac declaratione non indigere. Autè converſo tales dignoſcantur circumſtantiæ quod quando diverſum habuiſſet animum non acquieſcendi paterno judicio, eoque non obſtante legitimam detrahendi, veriſimiliter declaraſſet, juxtà conſiderationes, de quibus *eod. diſc. 17.* cum ſimilibus, in quibus eadem congruat ratio, ideòque Judicantes, & Conſulentes de hoc particulariter admonendi videntur, quod ſcilicet hujuſmodi quæſtiones voluntatis ambiguæ illorum, qui defuncti illam ampliùs explicare non poſſunt, ex facto, non jure, examinandæ, & decidendæ ſunt.

7 Et licet contrarium frequens moderna praxis doceat quod cum improbo labore magni fiunt authoritatum, & argumentorum cumuli, magnique inutiles apparatus, ut ita videantur docti, & eruditi, cùm revera potiùs ita ſe indoctos, ac judicio carentes probent, niſi reflectendo ad factum, cujus notitiam non habent, ut frequentiùs in hujus Curiæ Advocatis contingere ſolet, ob ſtylum inſinuatum *diſc. 46. in Relat. Cur. & alibi frequenter*, non videndi proceſſus, & jura, ſed ambulandi in fide cauſæ Patroni; Siquidem ſtylus commendabilis eſt pro nobilitate profeſſionis, & ne tempus teratur in mechanico, verèque improbo labore inſpiciendi voluminoſos proceſſus, ſed more antiquorum J. C. juxtà ea, quæ proponantur, reſpondendi de jure, ſed non per hoc negligenda eſt exacta notitia facti per eundem cauſæ Patronum recenſiti, ac juſtificati cum Summario, & quando exindè omninò ſufficiens, ac plena notitia non obtineatur, adhiberi debent diligentiæ pro illa aſſequenda, inſpiciendo per extenſum illas ſcripturas magis ſubſtantiales, ex quibus veritas deſumenda eſt, cùm frequenter cauſæ Patroni, utpotè occupati in laboribus ſuper compilatione Actorum, & proceſſuum, ideòque excuſabiles ob carentiam temporis, non advertunt ad aliqua motiva, ad quæ faciliùs advertunt Advocati, utpotè magis callentes concluſiones juris, non autem ut Advocati opera conſiſtat ſolùm in veſtiendo motiva Procuratoris, cum ſolitis cautionibus, & regulettis, vel cum inutilibus allegationum cumulis ſuper concluſionibus receptis, & præſupponendis utpotè non controverſis, nullatenus tamen ſubſtantiales punctos tangendo, vel ſicco pede pertranſeundo, ita prodigorum more abundando in ſuperfluis, & deficiendo in neceſſariis.

8 De præſervativa autem contenta in concordia, & in qua videbatur magnum conſtitui fundamentum dixi nullam penitus habendam eſſe rationem, ex jam vulgari præſervativæ natura non addendi, vel minuendi, neque concedendi, vel adimendi, ſed relinquendi res in ſuo ſtatu, prout ſunt, ut præſertìm de præſervativa fideicommiſſi patet ex deductis *diſc. 139. de fideicomm.* ubi pro abſoluto habitum fuit, ſolumque fuit quæſtio, an præſervativa adeſſet nec nè, ob diſcordantiam inter Inſtrumentum, & capitula.

LUCANA LEGITIMÆ
P R O
HÆREDIBUS FRANCISCI MARIÆ FLORENTINI, CUM CÆSAREO FRATRE.

Reſponſum pro veritate.

An, & quæ debita per patrem ſoluta, & expenſæ per eum factæ imputentur in legitimam filii contradicentis; Et præſertim an imputentur emolumenta Cappellaniæ, vel beneficii per patrem erecti, & per filium poſſeſſi ad eandem materiam, de qua ſuprà, *diſc.* 24.

S U M M A R I U M.

1 *Facti ſeries.*
2 *Debita filii ſoluta per Patrem, an imputentur in legitimam.*
3 *Quid de expenſis pro obtinendo beneficio.*
4 *An imputentur emolumenta beneficii per ipſum poſſeſſi à Patre erecti.*
5 *Exceſſivum emolumentum celebrationis Miſſarum non tollit pietatem operis.*
6 *De eodem, de quo num. 4. an imputetur beneficium, vel commenda; ſive feudum, vel primogenitura.*
7 *Patronus non poteſt participare de fructibus beneficii patronati.*
8 *Damnatur uſus deferendi Conſulentibus ad opportunitatem.*

D I S C. XXXVIII.

ERexit Franciſcus Maria Beneficium, ſeu Cappellaniam 1 cum dote annuorum ſcutorum quinquaginta ſex, ex quibus ipſe remanſit debitor quadraginta ſex ad commodum poſſeſſoris Cappellaniæ, dum reliqui decem correſpondebant eleemoſynæ quotidianæ dari ſolitæ pro celebratione Miſſarum, reſervato ſibi jurepatronatu, ac præſentando in primum Rectorem, ſeu Cappellanum Cæſareum filium, qui paulò poſt ad menſes, Patre conſentiente, atque expenſas expeditionum Datariæ ſubminiſtrante, dictam Cappellaniam permutavit cum Canonicatu; Decedens verò idem Franciſcus Maria in teſtamento æqualiter inſtituit cum onere fideicommiſſi præfatum Cæſareum, ac Marium, & Philippum Mariam filios, faciendo his duobus quędam prælegata in recompenſam æris alieni ſoluti, ac expenſarum, ut ſupra factarum pro Cæſareo, huic quoque injungendo, ut ex ejus portione dictum onus annuorum ſcutorum 46. deberet perſolvere, dum recompenſam habebat ex fructibus Canonicatus, ut ita omnimoda inter filios æqualitas ſervaretur ſub pœna privationis inobſervantium ejus voluntatem, relicta ſolùm tali caſu legitima de jure debita; Quarè cum Cæſareus paterno non acquieſceret judicio, ſed legitimam ſibi debitam peteret, fratres autem cohæredes prætenderent, ut in legitimam ipſe non ſolùm imputare deberet æs alienum, quod Pater pro eo perſolvit, ac expenſas pro obtentione Canonicatus, ſed etiam dictam annuam ſummam ſcutorum 46. quorum onere hæreditas gravata erat erga Cappellaniam, utpotè in ejuſdem gratiam erectam, ut ita juxta ejus deſiderium evaderet Canonicus, atque omnibus hujuſmodi diſputationibus locum fore in gratiam cohæredem aliquibus J. C. de partibus reſpondentibus, hinc ex parte eorundem requiſitus fui, ut pro majori firmitate ejuſdem Reſponſis ſubſcriberem, illaque approbarem.

Diſtinguendo itaque ſpecies imputationum; Quatenus pertinet ad illam æris alieni ſoluti, cum præſuppoſito ejus 2 juſtificationis, tam de facto, quàm de jure, adeòut non intrarent difficultates ſuperiùs ponderatæ *diſc.* 23. dixi, quod ſubſcriberem, atque pro imputatione reſpondi, juxta punctualiter firmata apud Dunozett. *diſc. 584. & 949.* de quibus pariter *eodem diſc.* 23. dum clara ſupponebatur Patris voluntas, cujus potiùs, ac facti, quàm juris iſta quæſtio videtur ex ibidem inſinuatis, quæ ſuperfluum eſt repe- 3 tere; Idemque quoad expenſas factas in Dataria, cùm pariter id pendeat ab animo Patris facientis intuitu filii conſentientis, ac deſiderantis juxtà ea, quæ in terminis donationis factæ filio, ut ad ſacros ordines promoveatur, habentur apud Barboſ. *de Epiſc. alleg.* 20. Michalor. *de fratr.* Mangil. *de imputat.* & alios hujuſmodi Collectores paſſim.

Quoverò ad dictum onus ſcut. 46. quo hæreditas gravata erat pro erectione Cappellaniæ. Reſpondi mirum videri, 4 quod reperirentur juris profeſſores, qui id conſulerent, vel affirmarent, utpotè omni penitùs authoritatis, ac rationis fundamento deſtitutum; Primò ex ſolo facto, dum de tempore mortis Patris filius non erat Cappellæ poſſeſſor, ſed extraneus. ideoque nulla ejus utilitas dignoſcebatur; Et quamvis ſupponeretur, quod loco emolumentorum Cappellaniæ obtinerentur illa Canonicatus cum ea permutati, quaſi quod Pater adhunc finem, & effectum principaliter illam erexerit, ut ſcilicet ea mediante Canonicatus obtineretur; Attamen id continebat meram divinationem, abſque juſtificatione in dubio non præſumenda, utpotè redolente, ſi non veram, ac formalem ſimoniam, quæ exigit pro neceſſario requiſito pactum præcedens obligatorium, ex deductis in ſua ſede *ſub tit. de denef.* ſaltem quandam turpitudinem, ac illicitam affectationem ita obtinendi Canonicatum.

Et ſecundò, quod ubi etiam ex abundanti id amittendum eſſet, quod ſcilicet Canonicatus in omnibus ſubroga- 5 tus eſſet loco Cappellaniæ, quinimò quod eamdem, nullatenus facta dicta permutatione, idem filius poſſideret; adhuc tamen dicebam, quod non exindè intrare poterant termini imputationis; Tum quia erectio fuit perpetua, & ſic non ad ſolum commodum filii; Tum etiam quia cenſen-

ſendum eſt eam principaliter factam eſſe pro ſuffragio animæ fundatoris, ac ſuorum cum celebratione Miſſarum ipſumque pium opus principaliter habitum fuiſſe in intentione, ac etiam ſecundario temporalitatem, & honorificentiam reſultantem à Jurepatronatu, non obſtante aliquo commodo, quod exindè reſultet Cappellano, qui Miſſas celebraret, vel ab aliis celebrari faceret, juxtà ea, quæ proximè ad rem habentur *diſc. 18. de teſtam.*

6 Ac etiam in idem facere obſervabam ea, quæ habentur *ſub tit. de fideicomm. diſc. 191.* & magis in ſpecie ſupra *hoc tit. diſc. 24.* ut ea, quæ obtineantur ratione beneficii, vel Commendæ, ſive dignitatis; Quinimò etiam feudi, ſeu primogenituræ non veniant in hac imputatione, dum emolumentum obtinetur ratione onerum illi muneri incumbentium, cum aliis ibi deductis conſiderationibus; Potiſſimè ad rem noſtram, quoniam ſi hic filius noluiſſet acceptare præſentationem de ſe factam, vel acceptando voluiſſet eandem Cappellaniam dimittere, vivente Patre, iſte coactus fuiſſet alium præſentare gratis abſque aliqua participatione fructuum, & emolumentorum, ob Canonum prohibitionem; Clarius verò ob illam magis expreſſam S. C. T. *ut diſc. 39. in adnot. ad Conc.* Igitur nihil adeſſe dicebatur impu-
7 tabile, cum revera redditus ſpectaret ad ipſam Eccleſiam, ſeu Cappellaniam, ejuſque fruitio competeret ejuſdem Cappellaniæ poſſeſſori, tanquam Miniſtro, & inſervienti pro mercede laboris, & ſervitii; Et tamen (ut præmiſſum eſt) reperti fuerunt Juris Profeſſores, qui deſuper conſulti pro imputatione reſponderunt, ac propterea ſi caſus daret quod, juſtè verè omninò deteſtabilem abuſum, imprimerentur, atque publicæ luci ederentur hujuſmodi; Reſpondentium informationes, ſub nomine Conſiliorum, vel Reſponſorum, ſive diſceptationum, aut controverſiarum, eo modo, quo datæ fuerunt, apud ineptiſſimum pragmaticorum vulgus facerent authoritatem punctualem, quæ juxta eorum propoſitionem in judicando attendenda venit, neglectis diſcurſibus, & ratiociniis, juxta inſinuata *diſc. 35. de Judic.* quo nil ineptius, nilque deteſtabilius.

JANUEN. LEGITIMÆ

INTER

ILLOS DE SPINOLIS hinc indè,

Reſponſum pro veritate.

An, & quando jus detrahendi legitimam tranſmittatur ad hæredem filii, vel alterius, qui vivens eam non petierit.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Quod punctus hodie ſit in applicatione, ideò procedendum cum diſtinctionibus.*
3 *An creditores habeant jus ad legitimam debitori delatam, & non agnitam.*
4 *An tranſmittatur ad hæredem jus rejiciendi onus à legitima.*
5 *An tranſmittatur jus petendi legitimam in vita non agnitam.*
6 *An tranſmittatur in fiſcum.*
7 *Quando non intrent termini tranſmiſſionis, ſed illa ſine dubio debeatur.*

DISC. XXXIX.

Violantes Spinola, inſtitutus æqualiter hæredibus univerſalibus omnibus ejus filiis maſculis natis, & naſci-
1 turis, reciprocam ſubſtitutionem inter eos ordinavit ad favorem ſuperſtitum in portionibus decedentium abſque filiis; Eaque defuncta Octavius Maria, & Philippus etiam de Spinolis filii ſuperſtites hæreditatem adierunt, eamque per aliquod tempus poſſederunt, ſequuta vero morte Octavii Mariæ ſine filiis, ſcriptis hæredibus Luca, & Jacobo Maria etiam de Spinolis, inter iſtos, ac præfatum Philippum fratrem ſuperſtitem pretentum reſtitutionem hæreditatis in vim dictæ reciprocæ ſubſtitutionis, orta eſt quæſtio in Rota Januenſi, detractionis legitimæ præfato Octavio Mariæ debitæ in bonis Matris, hanc detractionem ſubſtituto negante, ex eo quod idem Octavius Maria vivens eam non petierit, nec ſeparaverit, ideòque illa tanquam non agnita tranſmiſſa non ſit ad hæredes extraneos: Ac proptereà ad hunc tranſmiſſionis punctum quæſtione reſtricta, ſciſſa fuerunt Auditorum vota, quoniam duo ex eis pro tranſmiſſione reſponderunt; Unus verò in contraria fuit ſententia, procedendo cum diſtinctione, ut tunc tranſmiſſioni locus fiat, quando titulo particulari ea relicta, vel debita ſit, ſecus autem quando titulo univerſali cum reliqua, & univerſa hæreditate; atque deſuper hinc inde editis votis, meum deſuper petitum fuit judicium, ut poſtea comperii, ex parte Authoris voti ſingularis, cui reſponſum non placuit, utpote contra ejus ſenſum, ideòque puto, quod ſteterit ſub tenebris.

Reſpondi itaque, quod pro meo judicio inanis eſſet labor hinc indè deſuper adhibitus, ex eo quod iſta quæſtio prorſus extranea eſſet à caſu controverſiæ, quodque propterea pleræque concluſiones, & theoricæ juris per eos deductæ ad rem non facerent.

Ad id autem dignoſcendum diſtinguendos eſſe dicebam 2
diverſos caſus, diverſam rationem habentes, qui ſub iſta tranſmiſſionis materia cadunt, ut ita congrua ſequatur doctrinarum diſtinctio, vel applicatio, in qua hodiè tota eſt vis, vel peritia Judicantis, aut Conſulentis.

Primus igitur caſus eſt quando defuncto filio, vel paren- 3
te, cui in bonis parentis, vel reſpectivè filii, debita erat legitima, quam ipſe vivens non agnovit, ad eam non agat ipſius defuncti hæres, quem nullum habeat, ſed agant ejus creditores, adeòut illis, quibus ejus teſtata, vel inteſtata hæreditas delata eſt, iſtam non curantibus, potiùs expediat tranſmiſſioni locum non eſſe, ut ita excluſis creditoribus, ipſe jure ſucceſſionis primi defuncti bona obtineat, ut non ſemel mihi diſputandi occaſio dedit, & præſertim in caſibus, de quibus agitur *ſub tit. de credito, & debito diſc. 40. num. 16. & diſc. 137. & ſeqq.* Iſtoque caſu non levis diſcordia eſt inter Scribentes, quorum plerique ad hunc effectum dictam adhibent diſtinctionem inter jus univerſale, & particulare, ut patet ex plenè relatis pro utraque opinione per Rotam apud Bich. *deciſ. 292.* cum aliis deductis *d. diſc. 147. de credito*, ubi aliquæ dantur diſtinctiones, ibique nimium commendatur ſtatutum Januenſe, quod diſponit, ut debitor non poſſit nolle quærere in præjudicium creditorum; ſed quidquid ſit de iſta quęſtione dixi opus non eſſe illam examinare, cum non verſemur in ejus caſu.

Alter caſus eſt, ubi etiam ſuper legitima expreſsè adjectum eſt onus ſubſtitutionis, vel fideicommiſſi, non ta-
men ſervata fuerit illa cautela, quæ vulgò dicitur Soccini, 4
ac propterea ſolus actus aditionis hæreditatis, & acceptationis teſtamenti, abſque ſpeciali mentione legitimæ non ſufficiat, ex iis, quæ habentur ſupra *hoc eod. tit. diſcurſ. 16. cum duob. ſeqq.* Verùm quia filius, qui adivit parentis hæreditatem, ex qua ſibi legitima de jure libera debita eſt, vivens nullam fecit animi declarationem, an illud onus acceptare, vel reſpuere voluerit; hinc oritur quæſtio, an illud jus rejiciendi onus à legitima, tranſmittatur ad ipſius filii heredem; Atque in hoc pariter nimiùm certant Doctores, Aliquibus tuentibus negativam, quaſi quod ea, quæ pendent ab animo, non ſint tranſmiſſibilia, quodque filius vivens non conquærendo, approbare voluerit parentis judicium; Aliis verò tenentibus contrarium, ut ſcilicèt iſtud onus cenſeatur ipſo jure à lege reſecatum, ac habitum pro non ſcripto, adeout præſumendum ſit, ut filius legitimam liberam ex meliori, & pinguiori jure obtinere voluerit, ut patet ex plenè pro utraque ſententia deductis per Merlin. *de legitim. lib. 3. tit. 2. quæſt. 17.* & Capyc. Latr. *conſult. 131.* cum aliis relatis ſuprà *d. diſc. 17. n. 11.* ubi quod Rota ſequitur opinionem pro rejectione, ſed quidquid ſit de iſta quæſtione, pariter dixi non eſſe opus illius veritatem examinare, dum non eramus in caſu; Nimiùm verò ad rem expedire obſervabam eam examinare, quoniam ſi in iſto caſu fortiori ad hæredem tranſmittitur jus rejiciendi onus expreſſum, eoque rejecto obtinendi legitimam, multò magis in præſenti.

Tertius eſt caſus, quod filius, cui ex legis diſpoſitione in 5
bonis parentis delata ſit legitima, illam non agnoſcat, atque nullum faciendo actum poſitivum, vel negativum, decedat, an ſcilicet tranſmittat ad ejus extraneos hæredes jus petendi legitimam; Et tunc intrat quæſtio, de qua plenè, ac elaboratè in dictis votis, cum diſtinctione inter titulum univerſalem, & particularem, ex deductis, antiquioribus relatis per Surd. *conſ. 341.* per Merlin. *de legitim. lib. 5. tit. 3. quæſt. 9.* Maſſin. in addit. ad Guazzin. *de confiſcation. qu. 24. numer. 111. cum ſequentib.* Hodiern. ad Surd. *deciſ. 138.* Et in qua quæſtione Rota, & Curia Romana inconcuſſe tanquam in puncto juris veriorem ſequitur opinionem tranſmiſſioni favorabilem, rejecta dicta diſtinctione, ut *deciſ. 160. part. 6. recent.* & in aliis pluries, adeout iſta quæſtio in Curia non admittat amplius diſputationem, cum ſolùm de

hoc diſputari ſoleat in excluſionem fiſci pœnalis, ex deductis *ſub tit. de Regal. diſc. 123. & 160.* quoniam ubi intrat ratio ſanguinis, vel legitimæ, veriùs eſt locum eſſe tranſmiſſioni ex iis, quæ cæteris relatis magiſtraliter in materia deducuntur apud Bich. *deciſ. 320* cum aliis in materia relatis *ſub tit. de ſucceſſionib. ab inteſt. diſc. 15.*

Verùm quidquid ſit de iſto caſu, dicebam pariter, quod extraneus erat ab illo controverſiæ, cum iſta quæſtio procedat cum præſuppoſito, quod filius, cui legitima delata eſt, ſive ea delata ſit jure univerſali cum reliqua hæreditate, ſive jure particulari ob hæreditatem alteri relictam, eam nunquam agnoverit, ſed indeterminatus obierit, & in his terminis loquuntur omnes ſupradictæ authoritates, & aliæ deductæ in Voto negantis tranſmiſſionem, hiſque terminis retentis intrant rationes, & argumenta in eodem Voto deducta.

Non tamen erat iſte caſus controverſiæ, quoniam Octavius Maria filius, ac hæres univerſalis fideicommiſſo gravatus, hæreditatem maternam agnovit, bonaque hæreditaria tanquam dominus poſſedit, ſolumque per ejus obitum prætenditur reſolutus titulus hæreditarius ob gravamen fideicommiſſi, quod de ſui natura non comprehendit legitimam, imò neque Trebellianicam, ſi hæc prohibita non ſit, ac propterea, neque per imaginationem intrant termini tranſmiſſionis, cum illi cadant quando hæres ejus, qui legitimam, vel hæreditatem non agnovit, ad eam ex beneficio tranſmiſſionis agat pro nova acquiſitione facienda ejus, quod neque ipſe, neque ejus author adhuc quæſivit; ſecùs autem in caſu, de quo agitur, in quo hæredes Octavii Mariæ nil prætendunt de novo acquirere, ſed ſolùm contendunt de damno vitando, quodque ex bonis jam acquiſitis non teneantur reſtituere niſi partem gravabilem, ad quam teſtatricis poteſtas ſe extendebat, adeout illa pars, quæ cadit ſub detractionibus ſtante aditione, jam effecta ſit de dominio, & bonis filii, ideoque affecta ſine dubio ejus creditoribus; Et per conſequens prorſùs extranei remanebant dicti termini tranſmiſſionis, inaniſque remanebat adeo magnus labor hinc inde deſuper adhibitus; Siquidem fatuitas eſſet omnium Doctorum, & Tribunalium adeo acriter diſputantium de materia dictæ cautelæ Soccini, etiam in caſu, quo onus ſuper legitima expreſsè injunctum eſſet, ſi adeo de facili ex defectu tranſmiſſionis, hæredes, vel creditores filii morientis, nulla facta expreſſa ſeparatione, excludi poſſent, quoniam eamdem ſeparationem facit lex ipſo jure, ob duplicem, diverſumque titulum, ex quo bona hæreditaria per filium acquiſita ſunt, partim ſcilicèt tanquam filium jure legitimæ, ac ſucceſſionis neceſſariæ; Et partim tanquam hæredem extraneum fideicommiſſo gravatum in bonis liberæ diſpoſitionis, ideoque concludebam, quod caſus habere videretur de indubitabili pro competentia detractionis legitimæ juxta votum duorum, neglecto ſingulari.

ROMANA LEGITIMÆ
PRO LUCRETIA COLUMNA
DUCISSA BASSANELLÆ,
CUM JULIO CÆSARE COLUMNA
PRINCIPE CARBOGNANI.

Diſcurſus pro veritate, ſive arbitramentalis ad concordiam parandam.

An legitima patris, vel matris in bonis filii cum teſtamento decedentis, qui germanos fratres quoque habeat, ſit tertia tertiæ, vel tertia totius.

Et an ſub univerſali donatione filio facta per patrem, vel per matrem, veniat legitima, quæ per ejuſdem filii donatarii mortem ipſi donatori patri, vel matri debita eſt.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *De operatione clauſulæ codicillaris circa defectum præteritionis.*
3 *De teſtamento calore iracundiæ.*
4 *De quæſtione an legitima patris, vel matris ſit tertia tertiæ, vel tertia totius, ubi pater, vel mater eſt inſtituta cum diſtinctionibus.*
5 *Quid ubi pater, vel mater, ac fratres prætereantur.*

6 *In fideicommiſſo puro non datur duplex detractio Legitimæ, & Trebellianicæ.*
7 *Fratres poſſunt cedere eorum juri, ut legitima parentis ſit in tertia.*
8 *Declaratur concluſio, de qua num. 6.*
9 *Declaratur ad quem effectum procedat quæſtio inter* Bart. & Buttigar. *ſuper tertia tertiæ, vel tertia totius.*
10 *De rationibus ob quas verior ſit opinio* Buttigar. *ut ſit tertia totius.*
11 *De eodem, & quæ ſit veritas in materia.*
12 *Declaratur æquivocum circa deductionem ejus, quod relinquitur fratribus.*
13 *De alio æquivoco ſupponendi tertiam tertiæ.*
14 *Quod in quæſtionibus decidendis procedi debeat cum diſtinctione caſuum.*
15 *An valeat conventio ſuper legitima inter patrem, & filium.*
16 *An renunciatio, quam filius facit patri, comprehendat legitimam.*
17 *An ſub donatione univerſali facta tertio veniat legitima, quæ donatori competit.*
18 *De caſu præciſo quæſtionis adhuc non tractato.*
19 *Quomodo in caſibus novis procedi debeat, & de diſtinctionibus in caſu.*
20 *De rationibus, ob quas legitima non ſit comprehenſa in donatione.*
21 *Ad quid attendi debeant rationes, & argumenta, ſeu veriſimilitudines.*
22 *De ponderationibus in idem.*
23 *De ſtatu cauſæ.*

DISC. XL.

Donationem univerſalem præſentium, & futurorum bonorum ejus liberæ diſpoſitionis, aliis duobus filiis legitima, ſibique certa ſumma ad effectum teſtandi reſervata, fecit Princeps Carbognani Julius Cæſar, Stephano Baſſanellæ Duci filio primogenito, illumque plenarie emancipavit; Cùm autem turbato ordine naturæ filius patri prędeceſſerit condito teſtamento, in quo eodem patre, &
duobus germanis fratribus præteritis, Duciſſam Lucretiam 1
uxorem cum legibus ad rem non facientibus, hæredem ſcripſit; Hinc ſuper ejuſdem Ducis pingui hæreditate proveniente ex eo titulo, cujus mentio habetur *ſub titul. de Servit. diſc. 60.* occaſione controverſiæ inter eoſdem patrem, & filium, habitę ſuper uſufructu legali, exorta eſt lis; Pręcendentibus patre, & fratribus, qui inteſtato jure teſtamentaria in poſſeſſione bonorum pręvenerant, teſtamenti nullitatem ex duplici capite; Primò nempè pręteritionis Patris; Et ſecundò, quod calore iracundię, ſive ex injuſto odio erga patrem, & fratres illud conditum eſſet, ut propterea emancipationis beneficium ob ingratitudinem ceſſaſſet; Aliiſque etiam antiquorum fideicommiſſorum ſuper bonis hereditariis excitatis pręteniſionibus.

Cùm autem ego Duciſſę Teſtamentarię Advocatus, pro mea generali conſuetudine in omnibus litibus, pręſertim verò inter eos, qui arcto ſanguinis vinculo conjuncti ſint, concordię tractatum aſſumpſerim, ad eam deduxi concluſionem, ut cedentibus patre, & fratribus omnibus enunciatis pręteniſionibus, ſolo triente pro legitima contenti eſſent, beſſem verò heredi teſtamentarię liberè dimitterent, reſervato pręfatę donationis jure, in iis liberę diſpoſitionis bonis, quę extare reperirentur de tempore mortis patris donatoris, in quod donationis exequutio collata erat; Effectum verò tractatus non habuit, ob aliorum Duciſſę Advocatorum excitatas difficultates, tam ſuper legitimæ quota, quod ſcilicet non triens, ſed ejus tertia pars eſſe deberet, reliquis duabus partibus ejuſdem teſtamentarię heredis favore cedentibus, quàm etiam ob aliam pretenſionem, ut ſub dicta donatione omnium bonorum hęc legitima patri debita comprehenſa eſſet; Quare eodem tractatu durante, in congreſſibus oretenùs, & in ſcriptis, plures deſuper diſcurſus habiti fuerunt.

Dicebam itaque cum eo ſenſu veritatis, cum quo in hujuſmodi tractatibus procedendum eſt, dum Judicibus, vel Arbitri potiùs partes ità geri dicuntur, quod pro meo judicio neutra pretenſio haberet ſubſiſtentiam, quodque in litis progreſſu victoria ſperanda non eſſet; ideoque expediret pacificè, ac benevolè obtinere totum id, quod cum longo, diſpendioſo, ac ęrumnoſo litis progreſſu, probabiliter ſperari poterat; Idque non ſolum pro evitandis litium ſumptibus, & incommodis, cum manibus vacuis ob

præventam à collitigantibus poſſeſſionem, ſed etiam ad eam pacem conſervandam, quæ inter Socerum, & Nurum, ac viri fratres decebat; Et fortiùs, ut ita poneretur validitas teſtamenti in tuto; Quamvis etenim prætenſa invaliditas videretur probabilius ſuperabilis ob geminatam clauſulam codicillarem in ipſo corpore teſtamenti, ac ejuſdem teſtatoris manu materna lingua adjecta, ac propterea
2 ceſſabat quæſtio, de qua *ſub tit. de Teſtament. diſcurſ. 57.* Ac etiam facti circumſtantiæ excludere viderentur illum iracundiæ calorem, vel illud odium, cujus ratione invali-
3 ditas deduci ſolet ex inſinuatis *eod. tit. de Teſtam. diſc. 11. & 38.* Adhuc tamen (ita quotidiana experentia docente) in litibus nihil datur certum, ac firmum præſertim, dum alia fideicommiſſi antiqua prætenſio, ab aliqua non videbatur probabilitate aliena, ut juſtum timendi motivum ſubeſſet; ſed quoniam aliis deſuper conſultis, diverſimodè viſum eſt, idcircò majori parti cedere congruum fuit, ac propterea lis pendet.

Quatenùs itaque pertinet ad primum punctum, ſuper legitimæ quota, an ſcilicèt eſſet tertia tertiæ, vel tertia totius; Duas conſtituebam ſuper hujus articuli diſcuſſione inſpectiones; Unam ſcilicèt, procedendo pragmatico more, cum authoritatibus; Et alteram procedendo juxta genium, ac ſtylum, cum rationibus.

Attentis autem authoritatibus, aliqui ex iis, qui erant in ſenſu, quod legitima eſſet tertia tertiæ, totum autem reliquum cederet commodo extranei hæredis, dicebant,
4 quod licèt Moderni pro iſta quæſtione inter Bart. & Butrigar. adeo celebri decidenda, ut utramque opinionem conciliarent, multos efforment, & diſtinguant caſus, plenè reaſſumptos per Merlin. *de legitim. lib. 1. tit. 4. qu. 7.* & latiùs Bellon. jun. *de jur. accr. cap. 6. quæſt. 16.* Attamen neglectis aliis caſibus, utpotè à caſu quæſtionis extraneis, duo ad rem conſtituebantur; Primò nempè quando filii teſtamentum eſt validum, quia teſtandi facultatem habeat, atque patrem, vel matrem, ſive utrumque in legitima inſtituat, habeat tamen quoque germanos fratres, vel ex eis prædefunctis nepotes, qui æqualiter ad inteſtatam ſucceſſionem cum parentibus, ex jure noviſſimo veniunt; Et tunc intret ſubdiſtinctio, an aliquid fratrum, vel nepotum favore in teſtamento, vel in alia ultima voluntate diſpoſitum ſit, necne, ut in caſu negativo, adeout omninò præteriti ſint, legitima importet integrum trientem, quoties turpis perſonæ inſtitutio fratribus jus petendi legitimam non aperiret; Ubi verò aliquid eis honorabili titulo inſtitutionis, vel ex illo legati, ſive donationis cauſa mortis relinquatur; Et tunc una opinio credit, ut matri, vel patri tertia tertiæ debeatur, ex aliis verò duabus partibus ejuſdem trientis, ſolvi debent diſpoſita favore fratrum, reliquum verò cedere favore hæredis univerſalis.

Quare Baldus more ſcholaſtici potiùs quàm forenſis *in Auth. Noviſſima, in fin. Cod. de inoff. teſtam.* quem aliqui ſequuntur, & præſertim Manz. *in compend. teſtam. tit. de legitima, quæſt. 9. num. 8. cum ſeqq.* eumque refert Sperell. *deciſ. 34. num. 34.* tradit cautelam, ut fratres honorentur etiam in obolo, ut ita hæres liberetur ab onere legitimæ erga parentes cum ſola tertia tertiæ, reliquum verò lucretur idem hæres.

Agnoſcendo autem, quod iſta opinio utpotè omni ratione deſtituta, magis communiter reprobata ſit, admittebant, quod hodie apud modernos magis recepta, atque per Rotam canonizata ſit altera opinio, ut id quod relictum eſt fratribus, à toto aſſe detrahatur, ex eo autem, quod remanet, parens detrahat legitimam in triente, ut apud Dunozet. *deciſ. 308.* repetit. *deciſ. 219. p. 6. recent. & deciſ. 732.* cum aliis à me relatis ſuprà, *hoc eod. tit. de legit. diſc. 10. num. 27.*

Alter caſus eſt, ubi filii teſtamentum annulletur, ob patris, vel matris, ſive utriuſque præteritionem, ac propte-
5 rea fiat caſus inteſtatæ ſucceſſionis æqualiter ad favorem tam patris, & matris, vel alicujus eorum, quàm etiam germanorum fratrum, ſive nepotum ex eis; Et tunc licèt Bellon. jun. *dict. quæſt. 16. num. 170. & ſequentibus* Sperell. *deciſ. 34. numer. 29. & ſequ.* modern. de Luca in addit. ad Franch. *deciſ. 63.* & alii à me relati *dict. diſc. 10. hoc tit.* velint, ut hoc non obſtante, legitima adhuc ſit tertia totius; Nihilominus contrariam opinionem dicebant eſſe magis communem, ex plenè deductis per Theodor. *alleg. 35. per tot.* Franch. *deciſ. 63.* latè Rovit. *deciſ. 22.* ubi refert ita deciſum; Idque ex ea ratione, quod cum legitima ſit ſolùm tertia ejus, quod quis habiturus eſſet ab inteſtato, parens autem ab inteſtato ſolam tertiam partem obtinuerit, vigore tamen clauſulæ codicillaris gravatus eam reſtituere extraneo hæredi ſcripto, idcircò aliud pro legitima prætendere non poteſt, niſi tertiam partem ſuæ portionis, adeout fratres ita tanquam admiſſi ad ſucceſſionem, faciant numerum, & partem, contra parentem, qui contentus eſſe debet eo, quod ſibi lex pro legitima defert, ex ſua portione, non curando quid de portionibus fratrum fiat.

Iſtum verò dicebant eſſe caſum quæſtionis, dum teſtamentum ratione præteritionis patris erat nullum, atque ſupererant duo fratres, qui inteſtatam ſucceſſionem una cum patre agnoverant, omneſque in vim dictæ clauſulæ codicillaris, gravati erant reſtituere eorum portiones integras hæredi ſcripto, abſque aliqua detractione Trebellia-
nicæ, ob receptam concluſionem, quod non dantur in hoc 6
fideicommiſſo puro duæ detractiones legitimæ, & Trebellianicæ, ut apud Guid. Pap. *dec. 513. n. 1.* Grat. *diſcept. 902. n. 28.* Rota *deciſ. 586. n. 4. part. 1. recent. deciſ. 303. n. 20. part. 14. recent.* & in aliis frequenter.

His tamen non obſtantibus (cum ſenſu veritatis) contrarium dicebam verius, ut integrum triens pro legitima detrahendum eſſet, Priuſquam tamen ad hunc punctum devenirem, quatenùs ad iſtam cauſam particularem pertinet, ad duo advertebam, ex quibus inanis labor videbatur, iſtam involutam quæſtionem aſſumere.

Primò nempè quoniam, cùm pater, & fratres eſſent uni- 7
ti, de facili poterant noſtram prætenſionem eludere, adhibendo cautelam, de qua aliis relatis apud Dunozett. *d. deciſ. 732. n. 4. & ſeq.* & apud de Luc. ad Franch. *deciſ. 63. n. 1. in fin.* quod ſcilicet fratres cederent cuicumque juri ad favorem parentis, quod etiam poſt agnitionem fieri poſſe firmatum *in d. deciſ. 732.* Dunozet.

Et ſecundò, quod quæſtio reducebatur ad quid modicum,
quoniam ſi pater ex ejus quatuor unciis ſuæ inteſtatæ por- 8
tionis, detrahere poterat unam unciam, cum tertia parte alterius unciæ; Alii duo fratres, ex cujuslibet eorum inteſtata portione, quam jure fideicommiſſi reſtituere tenebantur, detrahere poterant unam unciam pro quolibet, ut advertit Bellon. *d. qu. 16. n. 173.* atque videtur indubitatum, cum nulla lex, vel ratio id prohibeat, & ſic in totum unciæ tres cum tertia parte alterius, ideoque reducebatur quæſtio ſolùm ad duas ex tribus partibus unius unciæ.

Clarum verò dicebam eſſe æquivocum negantium in fratribus Trebellianicæ detractionem, ob dictam regulam, ſeu propoſitionem prohibentem ex fideicommiſſo puro detrahi duas quartas, cùm ſolùm favore filiorum id concedatur in fideicommiſſo conditionali, non autem puro, ut etiam à me advertitur ſuprà *hoc eod. tit. de Legit. & Detr. diſc. 33. num. fin.* Concluſio enim eſt vera, ſed pro conſueto Pragmaticorum vitio, fallacia eſt in applicatione; Procedit etenim ne idem hæres gravatus fideicommiſſo puro, hanc duplicem contemporaneam detractionem faciat, ſive favore hæreditatis, ne ejuſdem, vel diverſæ perſonæ commodo, hanc duplicem detractionem patiatur, quæ ſemiſſem abſorbeat, ut in ipſomet parente, vel filio eſſet verificabile, & in quibus terminis præmiſſæ authoritates procedunt; Non autem in caſu, in quo inteſtata ſucceſſio diviſa ſit inter diverſas perſonas, quarum aliquæ jus legitimæ habeant, & aliæ non, ut ob legitimam, quam illæ detrahunt ex perſona propria, debeant aliæ perſonæ excludi à Trebellianica in propriis portionibus, dum conſiderantur tot hæreditates diſtinctæ, quot ſunt portiones, ideoque æquivocum videbatur manifeſtum.

Quo verò ad ipſum punctum generalem, pariter advertebam, quod in iſta præſertim quæſtione, ut etiam in pleriſque aliis, dignoſci videntur Pragmaticorum, ſeu Tranſcriptorum leguleicæ ſimplicitates, ab omni prorſus ra-
tione aberrantes; Quoniam iſta quæſtio, an parens extan- 9
tibus germanis fratribus, vel eorum filiis, pro ejus legitima integrum trientem, juxta Butrigarii opinionem prætendere valeat; Vel potiùs juxta opinionem Bartoli contentus eſſe debeat triente ſuæ portionis, quam in caſu inteſtati habiturus fuiſſet, percutit intereſſe ipſorum fratrum, quibus detractio integri trientis præjudicaret, juxta quæſtionem diſputatam *in Aſculana Legitimæ* coram Buhalo poſt Merlin. *de legit. deciſ. 39.* quam reaſſumit idem Merlin. *d. quæſt. 7. tit. 1. lib. 4. num. 24.* ſive ubi intret detractio integri trientis, ob aliud emolumentum, quod ex diſpoſitione morientis, ſeu legis, ratione Trebellianicæ, ut ſuprà fratres ex bonis hæreditariis obtinerent, ita hæres teſtamentarius, cui hæreditati reſtitutio facienda eſt, haberet minùs quàm beſſem, adeout hæreditas majorem pateretur detractionem, quàm lex concedat, atque in his terminis rectè

rectè procedunt authoritates ſequentes opinionem Bart. Non autem ut id quod parentibus tollatur, atque à fratribus non obtineatur, extranei heredis, vel fideicommiſſarii commodo cedere debeat; Id etenim nullum penitùs juris, vel rationis fomentum habet; Siquidem ſicuti exiſtentia fratrum, beſſem extraneo heredi minuere non debet, ita neque illum ejuſdem extranei favore augere, eſſet enim aliàs dare magnum inconveniens, quod fœcunda mater, vel fœcundus pater, apud Rempublicam majori favore, ac privilegio dignus, deterioris conditionis eſſet, quàm ſterilis, ita patiendo diminutionem ſuæ legitimæ, non ad commodum filiorum, quod ſuum quoque ex naturæ inſtinctu eſſe dicitur, ſed iſtis excluſis, ad favorem odibilis, atque exoſi extranei heredis.

Ad id autem ad evidentiam comprobandum, neglectis
10 verè contemptibilibus leguleicis ponderationibus ſuper concurſu ad faciendum numerum, & partem, ſuper quibus Scribentes adeo ſe involvunt, plures ponderabam rationes, naturaliter, ac legaliter convincentiſſimas.

Primò nempè, quoniam omnis naturalis, ac legalis ratio prohibet, ut melioris conditionis eſſe debeat ille, qui delinquendo legem contemnit, maleque erga parentes ſe gerit, quàm ille, qui legi paret, atque in omnibus erga paren-
11 tes ſe bene gerit; Cumque itaque filius decens parentem honorando, atque legi in omnibus parendo, nulla adhibere poſſit cautelam, ob quam parentum legitimam minuat, vel gravet, excepta illa cautela, quæ vulgò dicitur Soccini, quatenùs in toto inſtituat ex deductis ſuprà, *eod. tit. diſc. 17. & 18.* Igitur nullatenus admittendum eſt, ut caſu præteritionis, debeat delinquens iſtud lucrum facere, atque ex delicto premium, & remunerationem reportare, ita notabiliter minuendo legitimam ad commodum, & utilitatem extranei hæredis, parentes, ipſoſque fratre duplici afficiendo injuria, & damno, quo nil abſurdius, magiſque humano diſcurſui contrarium.

Secundò quoniam eadem utraque legalis, ac humana ratio prohibet, ut majoris virtutis, ac operationis eſſe debeat fictum, quàm verum, ſeu tacitum, quàm expreſſum; Et per conſequens cum iidem tenentes contrariam ſententiam magis communiter admittant, quod filio parentem inſtituente, fratres autem prætereunte, legitima ſit tertia totius; Hinc non videtur, quomodo in caſu ejuſdem fictæ, ſive per legem ſubintellectæ inſtitutionis, ratione, clauſulæ codicillaris, legitima debeat eſſe minor, quàm eſſet in caſu, quo adeſſet expreſſa inſtitutio, quam ita lex fingit, vel tacitè adeſſe ſupponit.

Tertiò ob inconveniens ſuperiùs inſinuatum, quod melioris conditionis eſſet parens ſterilis, quàm fecundus, quod utique tam legali, quàm naturali ratione adverſatur.

Et quartò, quoniam, ut advertitur ſuprà, *diſc. 4. & 10.* & in aliis, exiſtentia perſonæ, quæ ceſſare faciat commo-
12 dum parentis, vel alterius, eatenùs conſiderabilis eſt, quatenùs id, quod uni aufertur, alteri tribuatur, non autem ut extraneum à lege non conſideratum impinguet, cum aliis conſiderationibus, quæ in propoſito ſtatuti habentur ſuprà, *d. diſc. 10.* & alibi.

Veritas itaque ea videtur, ut exiſtentia fratrum in caſu teſtati, importare non debeat augumentum oneris filii morientis, ejuſque hæreditatis ultra trientem, minuſque importare debeat prohibitionem teſtandi ad favorem fratrum, ubi in reliqua hereditate libera extraneus inſtitui velit, ſive fideicommiſſi onus adjici; Et ſic quod id, de quo diſponitur favore fratrum, computetur in legitima; Ac propterea non minuatur beſſis; Non autem ut exinde licentia morienti tribuatur diminuendi debitum, ſive onus legale in triente, quod in ipſo inſtanti mortis per legem ſeparatur, vel abſcinditur ab ipſo patrimonio; Ac propterea in eo, qui legitimæ onere gravatus eſt, duplex datur heres; Unus ſcilicet voluntarius, qui obtinere non poteſt niſi beſſem, non autem ultra, & alter neceſſarius in triente; Et per conſequens id, quod diſputatur ſuper diminutione legitimæ Parentis, ut integrum non obtineant trientem, percutit jus, & intereſſe ipſorum fratrum, juxta *d. dec. 39.* poſt Merlin. *de legitim.* Nullatenùs verò commodum, vel impinguationem extranei hæredis, cum revera id nullum, naturali, vel legalis rationis fomentum habere videatur.

E converſo autem æquivocum videtur illud, de quo *d. deciſ. 308. & 732.* Dunozetti quod ſcilicet priùs ab univerſo aſſe deduci debeat id, quod favore fratrum diſpoſitum ſit, deindeque ex reliquo detrahere trientem favore parentis; Ita enim eſſet gravare defunctum, ut non habeat libertatem diſponendi favore extranei de integro beſſe, quod non eſt dicendum, ideoque potius ex ipſo triente detrahi debeat id, quod fratribus relinquitur; Quatenus tamen relinquatur tanquam fratribus, & in aliquam recompenſam excluſionis ab inteſtata ſucceſſione; Ubi enim relinqueretur tanquam extraneis, & ex perſonali affectione, alioque motivo, tunc non habetur in conſideratione, ſed poſt detractam legitimam, ad inſtar aliorum legatariorum, adimplenda ſunt legata ex beſſe.

Æquivocum item eſt, generaliter præſupponere in parente tertiam tertiæ ita cum ceca fide dicendo id, quod ab aliis
dictum reperitur abſque alio diſcurſu, vel ratiocinio, quaſi 13
quod ſemper debeat dari caſus, ut ſuperſint parens, & duo fratres; Siquidem ſi legitima dicenda eſt tertia pars illius portionis, quam idem parens habiturus eſſet ab inteſtato, hinc proinde dari poteſt caſus, ut decem, ac duodecim, & ultra ſuperſtitibus fratribus, & ſororibus portio parentis vix eſſet duodecima pars, vel minor hæreditatis, & per conſequens, quod legitima reduceretur ad tertiam partem unius unicæ, & minus, totumque cederet favore extranei, quo nil abſurdius, ideoque in hoc manifeſta dignoſci videtur leguleica inepria ab omni ratione aliena.

Quoverò ad alium punctum comprehenſionis legitimæ patri debitæ in donatione facta eidem filio defuncto; Cum Scribentes, pro moderno ſtylo procedendi cum generalitatibus, vel cum doctrinis in abſtracto, non diſtinguendo triticum à palea, deducendo omnia quæ in materia reperiuntur
ſcripta, cumularent ea, quæ apud Merlinum *de legitim.* & 14
alios, de quibus infra habentur in hac materia comprehenſionis legitimæ ſub generali donatione, vel renunciatione, omnium bonorum, & an potius illa indigeat ſpeciali mentione; Hinc pro mea conſuetudine in dicto congreſſu ad præmiſſum finem habito, advertebam ad æquivoca, quæ ex hujuſmodi ſcribendi modo reſultare ſolent, & pro quibus evitandis, vel tollendis, congruave applicatione concluſionum, vel doctrinarum, ad caſum quæſtionis, procedi debeat cum diſtinctione caſuum.

Primus itaque caſus eſt ſuper quæſtiones poteſtatis potius, quàm voluntatis; ex quadam juris ſubtilitate deducta, an ſcilicet fieri poſſit, ac valeat donatio, vel remiſſio legitimæ inter patrem, & filium, quamvis voluntas certa eſ-
ſet, iſtaque legitima ſpecialiter in conventionem deduce- 15
retur, & de iſto caſu à me agitur *hoc eodem titul. diſc. 22.* ubi allegantur Merlin. & alii; Dicebam tamen prorſus extraneas videri authoritates ac rationes, quæ percutiunt iſtum caſum, cum præſuppoſito quod agatur de donatione, vel de renunciatione tranſlativa non autem extinctiva; Ac propterea inanis labor ac ſuperflua Chartarum repletio erat immorari doctrinis, quæ iſtius caſus deciſionem percutiunt.

Alter caſus eſt, ubi agitur de renunciatione extinctiva,
ſive abdicativa potiùs quàm tranſlativa omnium bonorum, 16
& jurium præſentium, & futurorum, quam filius faciat parenti, ut pro frequentiori praxi contingit in illis renunciationibus, quas ex quadam generali pluries inſinuata commendabili Italiæ conſuetudine, filiæ fœminæ facere ſolent, quando carnaliter, vel ſpiritualiter, congrua dote accepta, nubunt, an ſcilicet hujuſmodi renunciationes generales, legitimam abſque ſpeciali mentione comprehendant, ipſi renuncianti in bonis parentis renunciatarii præmorientis debitam; Atque verior, magiſque recepta eſt affirmativa, quoties ipſe parens renunciatarius diſponat, quoniam hujuſmodi renunciationes per parentes à filiis procurari ſolent, ad obtinendam diſponendi libertatem; ex iis, quæ habentur à me deducta *ſub tit. de renunciat. diſc. 1. cum plurib. ſequent.* ac plura deſuper de more cumulat Merlin. *de legitim. lib. 3. tit. 2. qu. 25. & 26.* ſed pariter id extra propoſitum, cum potius verſaremur in caſu oppoſito legitimæ debitæ renuncianti, ſeu donanti in bonis renunciatarii, ſeu donatarii, & per conſequens eadem reſultabat inanis chartarum repletio.

Tertius eſt caſus quæſtionis, an ſub donatione univerſa- 17
li bonorum, & jurium præſentium, & futurarum facta tertio, abſque ſpeciali, & individua mentione, veniat legitima jam delata de tempore donationis, ſive quæ poſtea donatori deferatur, adeout cedat ad commodum tertii donatarii, & de hoc agitur per Rotam apud Merl. *deciſ. 642. num. final. repetit. deciſ. 125. part. 7. recent.* ubi pro comprehenſione, quatenus de tempore donationis jam delata eſſet; Ubi vero agatur de deferenda, ſeu ſperata, tunc remanet ſub quæſtione, ex doctrina Roman. *in l. de quæſtione, num. 10. Cod. de pact.* cum concordan. relatis per modern. Torre Lucanum *in ejus elaborato tract. de pact. futur. ſucceſ.*

ceſ. lib. 1. *cap.* 18. *num.* 30. Iſtæque authoritates ab aliquibus reputantur ſpeciales; ſed pariter advertebam, quod hujuſmodi quæſtio remanebat extranea à caſu noſtro, dum in præmiſſis authoritatibus, ac aliis præſupponitur agi de donatione, vel alia renunciatione ad favorem tertii, qui privativè ad donatorem, vel alium habentem ab eo cauſam, prætendat ſub ejus donatione comprehenſam illam legitimam, quæ donatori debita eſſet, vel ab eo ſperata in bonis ejus parentum, aliorumque aſcendentium, vel deſcendentium.

Caſus itaque præciſus noſtre quæſtionis ab omnibus premiſſis diverſus eſt, percutiens queſtionem, an ſcilicet donatio facta illi, in cujus premorientis bonis legitima debita ſit, illam comprehendat; Atque in his preciſis terminis, pro illis diligentiis, quæ per utriuſque Patris defenſores adhibitæ fuerunt, inveniri non potuerunt authoritates, quæ ad illos deſcenderent, ideòque dicebam (ut pluries à me advertitur *ſub tit. de judic. diſc.* 35. & in Relat. Cur. *diſc.* 46. & alibi) quod procedere oportebat cum regulis, & propoſitionibus generalibus, ſive cum rationibus, vel illationibus legalibus, prout egerunt noſtri majores, cum quorum traditionibus, ac doctrinis, hodie nos, quamvis cum aliquo abuſu, ac ineptia, ſub cæca fide procedimus.

Diſtinguendam eſſe itaque dicebam ſpeciem, ſeu naturam renunciationis, vel alterius diſpoſitionis; Aut etenim ea eſt verè, & ſimpliciter extinctiva ex principali motivo ſe faciendi omninò mortuum, adeòut dici non valeat mixta cum perſonali, ſive quod dici valeat realis ſecundùm quid, atque intuitu certæ perſonæ, ſeu generaliter, & indefinitè realis, & extinctiva, ideoque productiva dicti effectus, ut morti æquivaleat, juxtà diſtinctiones, de quibus in ſua materia *ſub tit. de renuntiat. diſc.* 1. *cum plurib. ſeqq.* Et tunc planum videtur, ut legitima non deberetur renuncianti in bonis renunciatarii, non in ratione ejus comprehenſionis ſub univerſitate bonorum, & jurium renunciatorum, ſed in ratione non ſuperexiſtentiæ perſonæ, quæ ita habetur pro præmortua.

Ubi vero agatur de donatione, ſeu tranſlativa renunciatione, quæ ſonat in idem; Et tunc reflectendum eſt ad facti circumſtantias, ex quibus reverà pendet deciſio hujus quæſtionis, quæ potiùs facti, quàm juris cenſenda eſt; Si etenim agatur de ſecundo caſu ſupradiſtincto donationis, vel renunciationis procuratæ per parentem à filiabus, ut obtineret, pro communi conſuetudine, libertatem diſponendi, ad exercitium quoque deductam; ſive ut diſpoſitione etiam non accedente, urgeat præſumptio, ut ea procurata ſit ad hoc, ut ita ſublato obſtaculo renunciantis, integra ſucceſſio abſque deductione legitimæ, ex veriſimili, ſeu præſumpta renunciatarii voluntate, deferatur filiis maſculis, vel agnatis, aut aliis perſonis veriſimiliter prædilectis; Et tunc rectè intrat legitimæ comprehenſio, cum ad eam potiùs excludendam, principaliter renunciatio procurata videatur; Secus autem iſta circumſtantia, ſeu conſideratione ceſſante, cùm tunc non ſolùm legitima, quæ magis privilegiata eſt, ſed ipſamet univerſalis ſucceſſio liberæ diſpoſitionis ipſius donatarii, vel renunciatarii in donatione, vel renunciatione non ſit comprehenſa, juxta magiſtralem *deciſ.* 346. Dunozet. repetit. *deciſ.* 543. *part.* 5. *recent.* & *deciſ.* 6. poſt Tamb. *de jur. Abb.* cum aliis à me deductis *tit. de renunc. diſc.* 1. *cum plurib. ſeqq.*

Iſteque caſus de facili præſumendus eſt in mente habitus, atque tam per renunciantem, quàm per renunciatarium contemplatus, tam ex præmiſſa conſuetudine, ut filiæ fœminæ dotatæ, & proviſæ, aliud habere non debeant, ſed bona conſerventur pro maſculis, vel in aliis filiabus non proviſis, ſive pro agnatis, quàm etiam quia, juxta ordinem naturæ præſupponitur, quod filius ſupervivat patri, vel matri.

In caſu verò converſo, quod pater donet filio, qui turbato, ſeu interverſo ordine naturæ, ei præmoriatur; Et tunc non de facili intrat caſus prævisio, quodq; ille in mente utriuſque contrahentis habitus fuerit; Multò verò magis in hac ſpecie, ex ejus particularibus circumſtantiis, ex quibus mihi videbatur, quod caſus haberet de indubitabili.

Primò nempè, quoniam donatio in ea parte, in qua cum materna, ſeu vulgari lingua concepta erat, continebat diſtinctam enumerationem bonorum, & jurium quæ donator credebat ad ſe ſpectare; atque amplitudo verborum, ex qua deſumebatur univerſalitas aliorum bonorum, & jurium, pro verè damnabili ſtylo, concepta erat per Notarium in lingua latina, quàm donator, quamvis nobiliſſimus, ac ordinis magnatitii non callebat; Ac propterea magna reſultare videbatur veriſimilitudo, ut id provenerit ex ſtylo Notarii abſque ipſius Donatoris ſpeciali advertentia, juxta ea, quæ à ſimili habemus in quæſtione, de qua præſertim *ſub tit. de emphyteuſ. diſc.* 14. & *ſub tit. de fideicommiſſ. diſcurſ.* 179. & alibi pluries, an ſcilicèt potiùs deferendum ſit capitulis materna lingua conceptis, vel inſtrumento per Notarium ordinato in lingua latina.

Secundò in idem, quoniam iſta donatio, quamvis quoad ſubſtantiam, pro legalibus ſubtilitatibus, quæ Partibus idiotis ignotæ ſunt, eſſet ab initio pura, & perfecta, dilata ſolùm exequutione poſt mortem; Attamen ſpectato facto, ſeu veritate naturali, ad quam Partes ſubtilitatum juris notitiam non habentes, reflectunt, concepta erat poſt mortem patris donatoris, & per conſequens nullatenùs probabile eſt, ut tam per donantem, quàm per donatarium, ad iſtum triſtem, & inordinatum caſum præmorientiæ donatarii cogitatum eſſet.

Tertiò pariter in idem, ſed longè fortiùs, quoniam donator alios duos filios maſculos habebat, æque charos, & dilectos, abſque aliqua differentia, vel majori prædilectione; Iſta verò donatio provenerat ex quodam prudenti, & rationabili beneque regulato motivo convenientiæ, ut donatarius tanquam primogenitus, atque facturus figuram capitis domus, juxta nobilium familiarum laudabilem conſuetudinem, eſſet, magis proviſus propter majora onera, quæ primogenito, ſeu capiti domus incumbunt, juxta ponderationes; de quibus ſuprà, *diſc.* 24. & alibi pluries; Et per conſequens magna reſultare videbatur probabilitas, quod verè imprudens, ac omninò inveriſimilis ſtipulatio pro hæredibus, & ſucceſſoribus quibuſcumque, ob quam excluſo ipſomet patre donatore, & fratribus, bona, & jura donata ad extraneum hæredem teſtamentarium, tranſmiſſibilia eſſent, adjecta fuiſſet potius ex Notarii ſtylo, vel formulario præter donatoris voluntatem, ejuſdemque donatarii cogitationem, vel ſollicitudinem.

Et quamvis juxta legales rigores à ratione deviantes, & qui potiùs à Juriſtarum literæ inſervientium ineptia, vel judaiſmo proveniunt, quando hæc ſtipulatio expreſſa adeſt, vel etiam implicita, & à jure ſubintellecta, non admittantur veriſimilitudinis, vel inveriſimilitudinis argumenta, & præſumptiones ex regula *text. in l. ille, aut ille, ff. de legat.* 4. quæ Pragmaticorum Achilles eſſe ſolet, illam quoque frequenter adhibentium adeo inſipidam propoſitionem, quod ubi habentur authoritates, curandæ non ſunt rationes, quodque plus valeat una doctrina punctualis, quam centum ratiocinia (ineptiæ quidem, quibus nullæ majores;) Attamen advertebam, quod ſaltim negari non poſſet, quin iſtæ conſiderationes inſufficientes ad deſtruendam voluntatem claram, quia ſic Notarii verba in ſenſu literali importent, ſufficientes eſſe deberent pro interpretatione ambiguæ voluntatis, & comprehenſionis, dum ad iſtum effectum ejuſdem donatoris, vel alterius contrahentis admittitur declaratio, quamvis non daretur penitentia, ſed actus eſſet de ſui natura irrevocabilis, ex pluries deductis pænè in omni materia, & præſertim *ſub tit. de donat.*

Ad idem quoque comprobandum ponderabam ea, quæ habentur *ſub tit. de renunciat. diſc.* 5. & 6. ſuper renunciatione non comprehendente caſus veriſimiliter non habitos in intentione; ſive ea, quæ *eod. tit. diſc.* 12. habentur ſuper renunciatione non complectente bona, & jura obvenientia ex penali diſpoſitione *text. in l. fæmina, C. de ſecundis nuptiis*, Aut ea, quæ habentur *tit. de Donat. diſc.* vo. & *ſeqq. ad materiam text. in l. ſi unquam, C. de rev. don.* cum ſimilibus.

Ex his itaque mihi videbatur, quod nimiùm honeſta, & juſta eſſet concordia juxta prænarratum modum, huic Parti potiùs proficua, ut aliæ quæſtiones ceſſarent ſuper antiquis fideicommiſſis, & ſuper omnimoda teſtamenti nullitate per alteram partem prætenſis, cum hodie nullus detur litium finis certus; Contrarium verò aliquibus ex Collegis viſum eſt, ideoque diſſoluto concordiæ tractatu, queſtio eſt ſub Judice.

In cauſa præcedentis diſcurſus emanarunt in ſacra Rota ſequentes deciſiones.

REVERENDISS. D. VICECOMITE.

Romana Donationis.

Mercuriis 26. *Junii* 1680.

REServatis ſibi ad effectum teſtandis ſcutis bis mille, ac uſufructu quorumcumque ſuorum bonorum, ejus vita naturali dumtaxat durante Dominus Princeps Carboniani, ex cauſa, & in premium emancipationis, aliiſque de cauſis, & rationibus animum ſuum dignè moventibus irrevocabiliter, & inter vivos donavit, (ſunt verba inſtrumenti) ceſſit conceſſit, & aſſignavit Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Domino Stephano Columnæ Duci Baſſanelli ejus filio præſenti, & acceptanti, & legitimè ſtipulanti pro ſe, ſuiſque hæredibus, & ſucceſſoribus quibuſcumque omnia, & quæcumque augmenta, & ut dicitur, *tutti li ſuoi avanzi, che ſi trovano di preſente, e che ſi trovaranno doppo la morte del detto Eccellentiſſimo Sig. Prencipe donante*, aliaque bona ad ipſum Excellentiſſimus D. Principem donantem ſpectantia, & pertinentia, & ſi in hac donatione non expreſſa, & quæ forſan in futurum quomodolibet ſpectare, & pertinere poterunt; Item omnia, & quæcunque jura, & actiones ad ipſum Excellentiſſimum D. Donantem quomodocumque, & qualitercumque ſpectantia, & pertinentia pro debitis ab eodem, & de ejus propriis pecuniis ſolutis pro clara me. Franciſco ejus Patre, pro quibus ſemper habuit animum ſe revalendi: Item creditum dotis maternæ ipſius Domini Donantis: Item omnes detractiones, quæ ſibi de jure competunt vigore cujuſvis fideicommiſſi, Primogenituræ, pacti ſuccedendi, & omnium, & quarumcumque diſpoſitionum (factarum) à ſuis Anteceſſoribus.

Mortuo ſubinde ſine Deſcendentibus Duce Stephano Donatario, inſtituta hærede Domina Duciſſa Uxore, ortiſque pluribus controverſiis, illiſque per inſtrumentum Concordiæ ſtipulatum ſub die 22. Januarii anno currentis concordatis, reſervatum ſolum fuit diſputandum, an legitima eidem Domino Principi in bonis filii prædefuncti debita fuerit in donatione comprehenſa, & ſit reſtituenda poſt mortem ejuſdem Domini Principis, & concorditer deciſioni Sacræ Rotæ remiſſum, quapropter diſputato hodie dubio, *An legitima ſit comprehenſa in donatione in caſu, & ad effectum, de quo agitur*, Domini negativè reſponderunt, moti tum ex qualitate rei, de qua agitur, tum ex virtute verborum, tum ex præſumpta mente utriuſque Contrahentis.

Ex qualitate enim rei, quia legitima nunquam venit in generali donatione, ſive renunciatione, niſi de illa facta fuerit ſpecialis mentio, juxta *text. in l. ſi quando, §. & generaliter, C. de inoffic. teſtam.* ubi communiter Scribentes, & in ſpecie Jaſ. *n.* 5. Pariſ. *conſ.* 43. *n.* 36. *l.* 3. Altogr. *conſ.* 56. *n.* 5. *lib.* 1. Mant. *de tac. l.* 26. *tit.* 2. *n.* 18. Gabr. *de legit. concl.* 8. *n.* 1. *l.* 6. Merlin. *eodem tract. lib.* 3. *tit.* 2. *qu.* 9. *n.* 32. Gallerat. *de renunciat. par.* 2. *cent.* 1. *renunc.* 47. *n.* 6. Cyriac. *contr.* 367. *n.* 14. Grat. *diſcept.* 684. *n.* 20. & *in ſpecie* Torr. *de pact. futur. ſucceſſ. lib.* 1. *c.* 18. *n.* 30. Rota *poſt eundem dec.* 177. *n.* 12. & coram Gregor. *dec.* 539. *n.* 11. & 14. ubi ait, hoc procedere, ſive agatur de legitima delata, ſive deferenda, & *dec.* 568. *n.* 4. & *in rec. dec.* 420. *ſub n.* 2. *p.* 4. *tom.* 1. & *deciſ.* 269. *n.* 13. *part.* 11. & *dec.* 181. *n.* 16. *part.* 14.

Ex virtute autem verborum, quia ſi inſpicientur illa – *tutti li ſuoi avanzi &c.* ſecundùm ſubjectam materiam non poſſunt intelligi, niſi de iis, quæ ex redditibus ſuperſunt, ut in proximis terminis poſt alios tradunt Mantic. *de conjectur. lib.* 7. *tit.* 10. *n.* 13. & Menoch. *de arbitr. caſ.* 256. *n.* 16.

Si verò ponderentur ſequentia – aliaque bona ad ipſum Excellentiſſimum Dominum Principem donantem ſpectantia, & pertinentia, & ſi in hac donatione non expreſſa, & quæ forſan in futurum quomodolibet ſpectare, & pertinere poterunt: Sub illis comprehendi nequit hæc legitima, quia conſiſtit in jure, & licet appellatione bonorum regulariter veniunt etiam jura per text. *in l. bonorum* 49. *ff. de verbor. ſignificat.* Tiraq. *l. in ſi unquam, C. de revocand. don.* Cravett. *conſ.* 213. *num.* 6. Rota in Romana bonorum 3. Julii 1679. §. *Et primo* coram Reverendiſſimo D. meo Albergato, regula tamen limitatur, quando, prout in caſu præſenti ſeparatim facta fuit mentio, etiam de juribus, ut infrà Spad. *conſ.* 25. *n.* 3. *lib.* 3. Giurb. *ad conſuet. Meſſan. c.* 1. *gloſſ.* 2. *n.* 4. *in fine* Magon. *deciſ. Floren.* 146. *n.* 21. Rota coram Celſo *deciſ.* 293. *num.* 4. & 5. loquens enim diſcretivè de bonis, & juribus habet illa pro diverſis, nec vult una ſub aliorum appellatione venire, Menoch. *conſ.* 215. *numer.* 69. & 70. Decian. *reſponſ.* 47. *num.* 16. *l.* 3. Honded. *conſ.* 60. *num.* 64. Altogr. *conſ.* 66. *num.* 9. *lib.* 1. Rota coram Dunozetto Juniore *dec.* 648. *n.* 15. & cor. Eminentiſs. Otthobon. *dec.* 265. *num.* 22. nil relevante illa dictione generali – *quomodolibet*, quia operatur ſolùm quoad modos, quibus bona pertinere poſſunt ad donantem Rot. *poſt d. Torr. dec.* 2. *num.* 5. & *in recent. dec.* 714. *num.* 6. *part.* 2.

Nec poteſt etiam eſſe comprehenſa appellatione jurium ex aliis poſterioribus verbis ibi – *Item omnia, & quæcumque jura, & actiones ad ipſum Excellentiſſimum D. Donantem quomodocumque & qualitercumque ſpectantia & pertinentia* – quia cum fuerint reſtricta ad jura donanti competentia pro debitis de proprio Patre ſolutis, & pro credito dotis maternæ, ac detractionibus ibi – pro debitis ab eodem, & de ejus propriis pecuniis ſolutis pro clar. me. Franciſcus ejus Patres Item creditum dotis maternæ &c. Item omnes detractiones, quæ ſibi de jure competunt &c. non poſſunt ad alia jura ab expreſſis diverſa extendi, ad *text. in l. in agris, ff. de acquir. rer. domin.* Cyriac. *controverſ.* 292. *num.* 11. & *ſequent.* Rota *deciſ.* 144. *numer.* 7. *part.* 6. & *deciſ.* 158. *num.* 17. *part.* 9. *recent.* & coram Eminentiſs. Otthobono *deciſ.* 190. *num.* 3. & præſertim ad jura non perfectè quæſita, & radicata, ſed conſiſtentia in ſola ſpe incerta eventuali, ac parum probabili, ut eſt illud, de quo agitur, Cagnol. *in leg. final. numer.* 282. *Codice de pact.* latè Cyriac. *controv.* 292. *num.* 8. & *ſequentib.* Rovit. *deciſ.* 85. *num.* 29. *verſ.* & *licet*, Rota coram Dunoz. Jun. *deciſ.* 346. *num.* 27. *cum ſeq.*

Hinc non relevat, quod D. Princeps ſibi reſervaverit uſumfructum bonorum, ejus vita durante, ac ſcuta bis mille ad effectum teſtandi, quia hujuſmodi reſervatio non extendit donationem ad non donata, ſed ſolum efficit, ut donans ex donatis conſequi non valeat ultra ſummam reſervatam, Cephal. *conſ.* 288. *numer.* 44. *lib.* 2. Theſaur. *dec.* 199. *num.* 8. Rot. coram Gregorio *dec.* 85 *num.* 15. & 17.

Ex mente demum utriuſque contrahentis, quæ præcipuè venit inſpicienda, ad text. *in l. eum qui* 56. *in princ. ff. de verb. oblig.* Menoch. *conſ.* 1. *n.* 223. Surd. *conſ.* 451. *numer.* 35. & 36. *lib.* 3. Rota coram Buratt. *deciſ.* 113. *in principio*, & *num.* 7. & coram Dunoz. Junior. *dec.* 346. *n.* 13. *cum ſeq.* nam reſpectu Patris donantis cum votum naturæ, atque Parentum ſit, ut liberi eis ſuccedant, non ipſi liberis, ut inquit text. *in l. nam & ſi Parentibus, ff. de inoffic. teſtam.* & *in l. nihil intereſt* 50. *verſ. Cum omnia, ff. de bon. libertat.* & *in l. Scripto, §. fin. ff. unde liber.* & *in l. De emancipatis, §. Cùm enim, C. de legitim. hæred.* Siquidem (ut ait Cicer. *lib.* 1. *de natur. Deor.*) votum Parentum eſt, ut filios ſibi habeant ſuperſtites, præſumi non poteſt, quod voluerit diſponere de iis, quæ ſibi obvenire poterant per mortem filii naturaliter non intentatam, nec cogitatam ut benè tradit Bart. *in l. ſervum filii* 46. *in princ.* ibique Caſtrenſ. *n.* 4. *ff. de legat. primo*, Ripa *in l. prima, n.* 25. *verſ. maximè, Cod. de pact.* Ruin. *conſ.* 212. *ſub n.* 15. *lib.* 1. Surd. *conſ.* 113. *numer.* 36. Rota *dec.* 41. *num.* 4. *part.* 16. *recentior.*

Maximè quia nunquam præſumitur renunciatum juri de ſuccedendo ipſemet Donatario, ſive Renunciatario, Rot. *poſt Torr. de pact. futur. ſucceſſ. dec.* 116. *n.* 14. & *dec.* 543. *n.* 23. *p.* 5. *tom.* 2. & *dec.* 434. *num.* 8. & *ſeq. part.* 13. & *dec.* 253. *num.* 12. *par.* 14. *rec.* nec illius hæredibus donatum id, quod eidem Donatario acquiri non poterat, ut eſt legitima, de qua agitur, ut benè tradit Menoch. *conſ.* 84. *n.* 15. & *ſequ.* & *conſ.* 388. *num.* 47. Altogr. *conſ.* 43. *n.* 53. & *ſeq. lib.* 2. Rota *dec.* 346. *num.* 25. & *ſeqq.* coram Dunozetto Juniore, & *in recent. deciſ.* 434. *num.* 1. *par.* 13.

Reſpectu autem filii donatarii, quia nunquam credi poteſt, quod ipſe floridæ ætatis, & optimæ valetudinis cogitaverit ſe debere contra curſum, & ordinem naturæ præcedere Patri jam ſeni, & variis morbis laboranti, atque acquirere ſuis hæredibus ea, quæ per ipſius obitum ante Patrem erant ex ſua hæreditate ducenda, cum triſtes eventus non conſiderentur, nec expectentur, ut in propoſito tradit Menoch. *conſ.* 6. *n.* 5. *ſiquidem*, & *n.* 6. Cyriac. *contr.* 103. *n.* 75. Grat. *diſcept.* 937. *num.* 10. Rota *deciſ.* 192. *numer.* 15. *par.* 10. *rec.* & coram Bichio *dec.* 5. *num.* 12.

Nec obſtat quod donatio fuerit per eundem filium acceptata, & ſtipulata, & pro hæredibus, & ſucceſſoribus quibuſcumque. Tum quia hoc dumtaxat operatur, ut donatarius poſſit de bonis, & juribus donatis diſponere etiam ad favorem extraneorum, non autem efficit, ut in donatione comprehendatur id, quod aliàs non fuit comprehenſum, Barboſ. *clauſ.* 112. *num.* 2. Tum quia præſumitur fuiſſe donatum hæredibus ſolum contemplatione filii, & quatenus donatio habuiſſet effectum in ipſo filio, & non alias, ut poſt alios benè reſponderunt Menoch. Altogr. & Rota allegati ſupra *in d. §. Maximè in fine.*

His omnibus accedit declaratio jurata ipſius Domini Principis; quod ipſe nunquam habuit animum, & intentionem comprehendendi hanc legitimam in ſua donatione, cui declarationi (cum negari non poſſit, quod res ſaltem ſit dubia) admodum venit deferendum, Tondut. *quæſt. civil.*

p.2.cap.174.n.7. Rota *deciſ.* 837. *n.* 14. coram Seraph. *& in rec.dec.*238.*n.*5.*p.*3.*& dec.*402.*num.* 31. *& ſeqq.part.*9.

Et ita utraque &c.

REVERENDISS. D. ALBERGATO DECANO.

Romana Trebellianicæ.

Veneris 23. Junii 1684.

STatuit clar. mem. Stephanus Baſſanelli Dux Excellentiſſimam ſimul, ac dilectiſſimam uxorem D. Lucretiam Columnam univerſalem ſibi ex toto aſſe hæredem inſtituere, & in hunc, qui ſequitur modum ultimam ejus voluntatem proprio charactere exaratam aperuit -- *In tutti gl'altri miei beni ſtabili, mobili, &c. & in tutta la mia hæredità inſtituiſco, faccio, volgio che ſia, e con la mia propria bocca nomino, di mia propria mano ſcrivo mia herede univerſale la Signora D. Lucretia Collona mia dilettiſſima Conſorte, alla quale laſcio tutta la mia heredità nel ſudetto, & in ogn' altro miglior modo.* Cui ſanè diſpoſitioni ſalutaribus, ac amplioribus clauſulis etiam munitæ majorem veri, ac germani ſenſus declaratoriam adjecit, qua eandem hæredem tribus contradiſtinctis caſibus ſubjecit. Primò ſiquidem ſi filii maſculi ex eadem Duciſſa hærede ſuſcepti ſuperextarent, Primogenitum voluit hæredem proprietarium, uſufructuarium verò ipſam uxorem; Secundo qui evenit -- *E volendoſi la Signora D. Lucretia mia moglie, & herede rimaritare, che non vi foſſero figli, ſia padrona ſua vita durante dell' uſufrutto, & à morte ſua la proprietà alli figli del Conteſtabile Colonna, che potrà nominarlo uno chi vorrà la mia herede, ma dell' uſufrutto ſia padrona ſempre farne quello, che vorrà, ſenza mai poterli reveder conto;* Tertio verò caſui -- *E non maritandoſi, e non eſſendoci figli ſia padrona di laſciare la proprietà à chi vuole lei.*

Cum hac ſic ordinata diſpoſitione deceſſit Teſtator, ac illius hæreditatem uti ab inteſtato delatam adiverunt DD. Princeps Carboniani Teſtatoris Pater, & Dux Anticoli, necnon R.P.D. Alexander Columna Cameræ Apoſt. Clericus Fratres, contra quos D. Duciſſa ex remedio *l.fin.C. de edict. D. Adr. toll.* immiſſionem coram A.C. intentavit, ſed oppoſita Teſtamenti nullitate per Principes poſſeſſores ob omnimodam præteritionem Patris eadem Duciſſa obliquam reſtitutionem vigore clauſulæ codicillaris prætendit, & ab eodem Judice immiſſionem in duabus ex tribus partibus hæreditatis obtinuit cum reſervatione Jurium, ſi quæ competerent ſuper reliqua tertia parte bonorum; Verum quia non levis tunc temporis inter ipſos Collitigantes quæſtio emerſiſſet ſuper quantitate legitimæ, an ſtante concurſu duorum fratrum in hæreditate Ducis defuncti legitima Patris præteriti eſſet tertia tertiæ, vel tertia totius hæreditatis, providi fratres ſequendo cautelam in ſenſu veritatis inſinuatam à primario tunc in Urbe Advocato pro impugnanda legitima Patris ſucceſſioni jam agnitæ ad iſtius favorem renunciarunt, cujus renunciationis, & reſpectivè ſententiæ immiſſionis effectus à Signatura Juſtitiæ cum clauſulà *ſine præjudicio canonizata*, idem Princeps Pater, & Duciſſa uxor experti fuere ille trientem integrum retinendo, hæc verò duarum portionum totius hæreditatis poſſeſſionem nanciſcendo.

Convolata poſtmodum eadem Duciſſa ad ſecundas nuptias cum Excellentiſs. Duce Guadagnoli, ideoque verificata ſubſtitutione ſecundo caſui per Teſtatorem adjecta pro omnimoda litis extinctione, ac pro ſedandis quibuſcumque jurgiis ex cauſa delatæ ſucceſſionis inter Nobiliſſimos Collitigantes ſubortis, deventum fuit ad ſolemnem, ſed amicabilem tranſactionem, qua conſentientibus etiam filiis Excellentiſs. Magni Comeſtabilis mediante perſona Excellentiſs. Principis Somneni ad id ſpecialiter Procuratoris deputati, remiſſa fuere hinc inde prætenſa jura abſque ulteriori cauſæ diſcuſſione cum acquieſcentia bonorum ipſis jam obventorum.

In hoc rerum ſtatu cum prædicta Duciſſa hæres plura eorundem bonorum corpora in Ducem virum diſtraxerit, & quidem notabili pretio ſcut. 79423. nedum titulo, ac jure pleni & directi dominii, verum, & in computum trebellianicæ ſuper præfata hæreditate ab ipſa prætenſa, inſurrexit Excellentiſs. D. Magnus Comeſtabilis, ac uti Pater, & legitimus filiorum adminiſtrator paterno verè muneri intentus indemnitati eorumdem filiorum proſpiciens, judicium coram A.C. ſuper reſciſſione dd. alienationum inſtruxit, à quo de partium conſenſu obtenta in mei perſonam deputatione, & exquiſito hujus Sacri Tribunalis voto, dubium ego communi placito volitum, ac ſubſcriptum DD. meis ſub die 10. Maji præteriti diſcutiendum propoſui. An ſcilicèt alienationes factæ in cauſam Trebellianicæ ſubſtinerentur, quod tunc temporis ob votorum ſciſſuram non reſolutum, hodie demum novo examini ſubjeci, & negativum reſponſum pro inſubſiſtentia ſiquidem alienationum obtinui.

Præmiſſo enim uti de jure indubitato, quod teſtamentum in quo Pater, vel alius aſcendens eſt omninò præteritus, ipſo jure nullum dignoſcitur, nec annullatione ſeu contratabulatione hominis indiget per ea, quæ tradunt Cagnol. *in auth. ex cauſa, n.*82. *C. de liber. præter,* Bald. *conſ.*99.*n.*2. *lib.*2.*& conſ.*191.*n.*1.*lib.*4. Clar. *in §. teſtam. qu.*49.*n.*1. Graſſ. *in ſimili §. teſtamentum, qu.*51.*per totum* Boher. *deciſ.* 96. *ſub num.* 1. Rota *dec.* 483. *per totam part.* 3. *diverſ. & deciſ.* 206. *n.* 3.*p.*7. *& in celebri Romana, ſeu Januen. legitimæ* 28. *Aprilis* 1681. *§. quod autem teſtamentum, &* 5. *Aprilis* 1683. *§. de nullitate autem*, coram R.P.D. meo Matthæjo.

Quod extra anſam dubietatis remanet, ſi prout in præſenti voluntas hominis præteriti facto, vel verbis teſtamentum impugnantis cum operatione legis conjungatur, ut pro indubitato ampliavit Rota *deciſ.*770. *ſub n.* 2. *in fin. p.*2. *recent.* In neceſſarium ſequitur, quod D. Duciſſa uti hæres ſcripta in teſtamento nullo ob omnimodam præteritionem Patris, nunquam hæres directa dici mereatur, ſed ad ſummum obliqua in vim clauſulæ codicillaris, quæ operatur reſtitutionem hæreditatis per inteſtatum hæredem hæredi ſcripto faciendam, quo caſu Trebellianicam non deberi, & alienationes in iſtius cauſam peractas de conſequenti corruere, cum hujuſmodi detractio debeatur dumtaxat primo hæredi inteſtato, & gravato, ſecus autem ſcripto, & ſecundo, qui per fideicommiſſum capere dicitur, ut in præciſis terminis firmarunt Caſtrenſ. *in leg. ex ea ſcriptura* 29. *verſ. & erit in hoc, ff. de teſtam. & conſ.* 15. *n.* 1. *verſ. & trahet præfatam, lib.* 2. Mart. *de ſucceſſ. legal. p.* 4. *qu.* 2. *art.* 4. *num.* 12. Graſſ. *de ſucceſſ. ab inteſt. §. Trebellianica, qu.* 3. *num.* 3. Turrett. *de clauſ. Codicill. qu.* 16. *effect.* 11. *n.*12. Borgnin. Cavalc. *de tutor. & curat. ſub num.* 74. *& in terminis hæredis gravati, & fideicommiſſarii, quorum primus detrahat tantùm ex propria perſona, non autem ſecundus, qui per fideicommiſſum capit, eſt text. in l. prima, §. denique, verſ. inde de Nerat,* ubi Gloſſ. *verb.* 2. *quartam, ff. ad trebell.* Caſſan. *conſ.* 67. *ſub n.* 73. *in fin. &* 74. Cravett. *conſ.* 130. *ſub n.* 11. Honded. *conſ.* 49. *ſub n.* 43. *lib.* 1. Fuſar. *conſ.* 106. *n.*11. Altograd. Jun. *contr.*71.*n.*32. Peregr. *de fideic. art.*3. *num.* 5. Graſſ. *de ſucceſſ. in §. Trebellianica, qu.* 3. *ſub num.* 6. Rota *dec.* 568. *ſub numer.* 4. *part.*1. *dec.*367. *num.* 5. *par.*2. *& dec.*462. *ſub num.* 3. *par.*4. *recent. & deciſ.* 776. *ſub num.* 13. coram Merlin. *& dec.* 300. *ſub n.* 1. coram Coccino.

Non impugnabant ſcribentes pro D. Duciſſa hujuſmodi regulam alias de jure veriſſimam, ſed in præſenti hypotheſi illam non applicari, ſeu potius ex tacita, ſive præſumpta teſtatoris voluntate limitationem recipi, non inquam applicari, dum adverſus hujuſmodi teſtamentum Pater Princeps querelam inofficioſi non porrexerit; Quinimò per tranſactionem poſtmodum initam expreſsè cum filiis, & fratribus reſpectivè defuncti Ducis approbaverit, ſolumque præfatam nullitatem ipſo jure inductam procedere ſi in teſtamento aſcendentis filius prætereatur, ſecus autem ſi filius patrem præteriit, aut alium Aſcendentem, cum tunc in iſtorum arbitrio ſit approbare, vel rumpere Teſtamentum, quod ſignanter procedit in Teſtamento, de quo agitur, uti facto à filio emancipato contra quod Pater præteritus quærelam inofficioſi non habet pro conſequutione legitimæ, ſi turpis perſona non fuerit inſtituta ex peculiari ſanctione textus in *l. Pantonius* 3. *in princ. ff. ſi à parentibus, qui manumit.*

Ex tacita verò, ſive præſumpta Teſtatoris voluntate præfatam regulam, limitationem recipi, dum Teſtator primo hæredi dumtaxat prohibitionem Trebellianicæ injunxit, ſecus verò ſecundo, qualis admittebatur à D. Duciſſa, ideoque ſuccederet præſumpta Teſtatoris permiſſio pro hujuſmodi quartæ detractione, ad favorem ſecundi gravati, ex doctrina Bart. *in l. pœnales actiones, §. ſi Titio in fine, ff. ad l. falcidiam.* Ripa *in l.*4. *§. denique num.* 13. *ff. ad Trebell. cum relat.* per Menoch. *præſumpt.* 198. *ſub num.* 34. *lib.* 4.

Quinimò addebatur non deſinere authoritates punctuales, quod etiamſi Pater teſtamentum rumpere potuiſſet, & actualiter contratabulaſſet, adhuc hæredi ſcripto, qui vigore clauſulæ Codicillaris per fideicommiſſum caperet, trebellianica debeatur, ſi tamen Pater illam non detraxerit. Tenuerunt Præſes de Philippo *conſ.*46. *ſub n.*28. Barry. *de ſucceſ. lib.*15. *tit.*1. *n.*9.

Verùm hujuſmodi objectis, ſuper quibus tota cauſæ diſcuſſio

cuſſio revolvebatur uti in facto aberrantibus, & in jure inſubſiſtentibus, DD. pleniſſimè ſatisfieri videbatur. Primò, ſiquidem quoad actualem contratabulationem Patris etiam ab ipſa Duciſſa agnitam illa ex prenarrata facti ſerie ad ſenſum colligebatur; Princeps enim Pater præteritus una cum filiis inteſtatam defuncti Ducis ſucceſſionem cognovit, eodemque Jure itidem una cum filiis poſſeſſionem bonorum hæreditariorum accepit. Remedium exindè vulgatæ l. diffamari contra jactationes Duciſſæ in teſtamento fundatas Judicialiter intentavit, & clarius declarando eorum animum præfati Pater, & filii ut hæredes ab inteſtato Procuratorem ad litem agendam, conſtituerunt, ut de omnibus doctum fuit Summario D. Comeſtabilis, & filiorum ſub num. 1, 2. & 3. quæ ſane ad evidentiam comprobat nullitatem ejuſdem teſtamenti, necnon illius contratabulationem ab Actoribus agnitam, & re, & verbis fuiſſe nedum impugnando jactationes Duciſſæ teſtamento innixas, verum, & poſſeſſionem bonorum uti ab inteſtato delatorum nanciſcendo, non obſtante teſtamentaria filii diſpoſitione, quæ perneceſſe ejuſdem diſpoſitionis rupturam concludunt, dum cauſa teſtati, & inteſtati adinvicem contrarietur, & incluſio, ſeu approbatio unius ſit impugnatio alterius, per *text. in l. fin.* & ibi Bald. *n.*27. & Salicet. *ſub n.*1. *& ſeqq. C. de Codic.* Rom. *conſ.* 125. *ſub n.*1.

Id ipſum etiam ex parte Duciſſæ agnitum fuit, dum in ſolemni tranſactione ſupra enunciata faſſa fuit, quod Pater, & fratres Ducis defuncti nullitatem teſtamenti ex cauſa præteritionis Patris oppoſuerunt, quodque ipſa contra ipſos judicium Immiſſionis vigore *leg. fin. inſtituerat*, quæ confeſſio uti ſolemnis, & jurata ſatis perfectam probationem adduceret vulgata *l. cum te, C. de tranſact. l. generaliter, C. de non num. pecun. cap. per tuas, de probat.* Ad eidemmet confeſſioni accedit judiciale factum ipſius Duciſſæ, quæ juri directo inſtitutionis ſibi ex Teſtamento competenti judicialiter renunciavit, ac pro renunciato haberi voluit, aſſerens legitimam Patris eſſe dumtaxat portionem portionis debitæ ab Inteſtato, expreſſe fatendo ipſum Principem Patrem ab Inteſtato ſucceſſiſſe, prout ex verbis judicialis interpellationis in Summario D. Comeſtabilis data colligitur, ibi -- *Partem portionis, in qua Excellentiſſ. D. Princeps ab Inteſtato ſucceſſit* -- hujuſmodi ſua geminata ſeries, & Judicialis confeſſio veritatem facti præſefert, ut omiſſis generalibus in ſpecie firmavit Rota coram Priolo, *dec.*474. *ſub num.* 3.

Quod ad evidentiã, magis magiſque comprobatum dignoſcitur, cum in Judicio coram A.C. & ſubinde in Signatura actitato fundamentum Duciſſæ omnimodè conſtitueretur in clauſula codicillari ad effectum, ut Teſtamentum Viri jure obliquo, ſeu fideicommiſſario ſubſtineretur ſuppoſita ſemper nullitate Teſtamenti jure directo ob Patris præteritionem, ut in poſitionibus originalibus cauſę datis Eminentiſſimo Signaturæ Juſtitiæ Præfecto, & in neceſſariis DD. oculis hodie ſubjectis *Summario* D. Comeſtabilis *n.*5. Unde cum in eadem cauſa A.C. Immiſſionem Duciſſæ ſuper duabus ex tribus partibus conceſſerit, relicta pęnes Principem Patrem tertia parte hæreditatis in neceſſarium antecedens canonizavit, & ſuppoſuit nullitatem Teſtamenti Jure directo, & ſucceſſionem redactam ad cauſam Inteſtati, dum pro legitima trientem Patri reliquit, & hæc idem Patri præterito niſi per querelam inofficioſi debetur, Faber. *in C. lib.* 2. *tit.* 3. *de pact. definit.*19. *ſub, num.*4. *in gloſ. ibi*, legitima enim facto Teſtamento non poteſt peti niſi per querelam, quæ contra Teſtamentum proponitur, *& lib.*6. *tit.*8. *de impuber. & aliis ſubſtit. defin.*1. *in* Gloſ. *num.* 7. *in fine* -- ibi. Nec verbum fieri poteſt ſalvo Teſtamento, ut legitimam poſſit petere citra querelam inofficioſi, cui nihil penitus relictum fuit Angel. *in rubr. Auth. de triente ſemiſſ. num.*2. Burſatt. *conſ.* 121. *n.* 10. *& ſeq.* Riminal. Sen. *conſ.* 133. *numero* 3. Viſſembegh *in §. jam autem naturales, verb. relictum, numer.* 5. *in fine, Inſtit. de inoffic. Teſtam. & conſ.* 87. *ſub numero* 11. *verſ. quamquam cum ſequ. & in alleg. dec. celebris Cauſæ Romana, ſeu Januen. legitimæ* 28. *Aprilis* 1681. *§. Verum, cum ſequ. confirmat.* 5. *Aprilis* 1683. *&* 10. *Maji* 1684. coram R.P.D. meo Matthæjo.

Data itaque nullitate, ac poſitiva Teſtamenti contratabulatione, inanis DD. videbatur illius convalidatio, ſeu approbatio ex verbis memoratæ tranſactionis, inducta, ea ſiquidem ratione, quod intrinſeca nullitas, ac poſitiva impugnatio actus ita illum infectum reddat, ut amplius convalidari, ſeu approbari non poſſit, ac perinde habeatur, ac ſi factum non fuiſſet, per *Text. in l.*1. *§. ultim. in fin. ff. ſi Tab. Teſtam. null. extab.* Berlich. *concluſ. legal. p.*3. *concl.*16. *n.*37. *verſ. præterea*, exinde ſequitur Surd. *conſ.*136. *n.*29. *& ſeqq.* Ita ut nullitates in Judicio delatæ, & acceptatę, nec etiam à Principe ſanari valeant, Rot. *deciſ.*178. *n.*10. *p.*7. *& deciſ.* 114. *n.*8. *par.*12. *recent.*

Alias hæres fieret ex pacto contra principium indubitatum, quòd hic ſolum per viam teſtamenti tribuatur, *leg. hæreditas, Cod. de pact. conventional.* Torr. *de pact. futur. ſucceſſ. lib.* 1. *cap.* 2. *numero* 11. adeo ut non ſit in facultate alicujus per alium teſtamentum condere, etiam Teſtatore volente, Andreol. *contr.* 195. *numero* 2. *& ſeqq.* Torr. *de pact. futur. ſucceſſ. leg.*3. *cap.* 6. *num.* 61. ex quo ſequitur, quod approbatio per pactum nunquam operari poterit reconvalidationem Teſtamenti uti Teſtamenti, ſed ad ſummum præſeferat ſimplex pactum, & ſecundum quid per ea, quæ tradunt Mantic. *de conject. ult. vol. libr.* 2. *tit.* 20. *num.* 10. Mart. *de ſucceſſ. legal. p.*4. *q.* 3. *art.* 2. *n.* 3. *& ſeq.* Surd. *deciſ.* 53. *ſub nu.*22. *cum ibi allegatis.*

Sed in præſenti removeri quamcumque dubietatem DD. inferebant ex defectu per tranſactionem ſortito, dum Patri præterito tertia pars hæreditatis pro ejus legitima relicta fuerit; Exinde enim perneceſſe tranſigentium voluntas manifeſtatur pro confirmanda inteſtata ſucceſſione, & approbatione Teſtamenti quoad effectum clauſulæ codicillaris danti obliquam, ſeu fideicommiſſariam ſucceſſionem, & Principem Patrem non poſſe prætendere inefficaciam clauſulæ ob præteritionem ſui ipſius; quam ignoranter factam prætendebat. Extat enim in Jure Textus literalis in *leg. filio præterito* 17. *ff. de injuſt. rupt. & irrit. fact. teſtam.* diſponens præteritum aliter Teſtamentum convalidare non poſſe, quam per ſimplicem abſtentationem abſque conſecutione minimæ partis hęreditatis, dum ergo in eadem tranſactione Patri pręterito quota legitimæ relaxetur, quomodo poterit in Jure teſtamentum convalidari tali ſucceſſioni de directo contrario, ut obſervant Doctores in dicta *leg. filio præterito*, & ſignanter Bart. Bald. Angel. Imol. & Caſtrenſ. Caldas, Pereir. *de inoffic. teſtam. cap.* 1. *n.* 24. Manz. *conſultat.* 216. *numer.* 21. *&* 22. Gomez. *var. reſol.* 1. *tom.* 1. *cap.*11. *de ſucceſſ. controv. teſtam. numero* 6. Rota *in allegata Romana, ſeu* Januen. *legitimæ* 28. *Aprilis* 1681. *§. ex his clarè, &* 5. *Aprilis* 1683. *§. his poſitis* coram R.P.D. meo Matthæjo.

Quinimo implicat contradictionem, quòd quis teſtamentum approbet, & inteſtatæ ſucceſſioni renunciet, & ſimul, & ſemel legitimam non niſi portionem inteſtatæ ſucceſſionis retineat, prout perpendunt Merlin. *de legit. lib.* 5. *tit.*3. *qu.*2. *num.*7. Donad. *de renunc. c.*46. *n.* 785. *& ſeqq. tom.* 2. *ultra allegatos in dicta Romana, ſeu Januen. legitimæ* 28. *Aprilis* 1681. *ſub §. Renunciata.*

Ulterius eſſet in poſſe Pręteriti permittere id, quod eſt à lege prohibitum, ac multiplicare detractiones in everſionem fideicommiſſorum, ſi poſtquam ipſe detraxit id, quòd de Juris rigore poterat, renunciando nullitati Teſtamenti, tribuere poſſet fideicommiſſario hęredi facultatem aliam quartam detrahendi, quod incongruum omnino videtur, quinimo repugnans principiis legalibus, dum multiplicarentur hæredes directi, qui donec facerent eorum detractiones tali munere fungerentur, poſtmodum verò per eorum renunciationes alius hęres directus inſurgeret, qui novam detractionem caperet, & hoc modo tranſactiones, quæ in bonum publicum tendere debent, everſionem hęreditatum, & fideicommiſſorum parerent, quod nullatenus permittendum eſſe tradiderunt Tondut. Sanleger. *qu. civil.* 93. *à num.*7. *uſque in fin. tom.* 1. & Rot. *dec.*303. *ſub num.*20. *p.* 14. *rec.*

Verus igitur ſenſus eſt, quòd approbaverint Teſtamentum uti transfuſum in Codicillum vigore clauſulæ codicillaris, quæ operatur hunc peculiarem effectum transfundendi Teſtamentum Codicillos juxta Theoricam Socc. ſen. *in leg. cum filio, n.*32. *ff. de legat.*2. Surd. *conſ.*232. *num.*17. *& ſeq.* Turret. *de clauſ. codicill. q.*46. *n.* 3. & capi debet iſta interpretatio, quæ eſt poſſibilis, non autem pretenſa ab altera parte; quæ eſt impoſſibilis, & Juri repugnans, Socc. jun. *conſ.*77. *n.*27. *l.*3. Grat. *diſcept.* 168. *n.* 15.

Propterea D. Duciſſa hęres Trebellianicam prętendere nequit, dum iſta per renunciationem cuicumque Juri ſibi competenti à fratribus conſulto peractam ad favorem Principis Patris coacervata, ſeu incluſa remanſit in integro triente eidem Patri relicto. Cum enim iſte Jure proprio tertiam tertiæ dumtaxat conſequi potuerit ex ſupra animadverſis pro legitima debita ſtante concurſu fratrum in hęreditate Ducis defuncti, utique tam legitima Patris, quam Trebellianica fratrum ſimul in eodem triente comprehen-

dun-

dantur, & una cum alia confuſa remanſit, juxta allegata per Peregr. *conſ. 93. num. 3. l. 6. & de fideic. art. 3. nu. 49.* Mangil. *de imput. quæſt. 116. nu. 62.* Mart. *de ſucceſſ. legal. p. 4. q. 28. art. 6. n. 12.*

Non obſtante quod in eadem tranſactione non fuerit facta mentio Trebellianicæ, quia dum fratres defuncti ob intermediam renunciationem amplius ad ſucceſſionem non aſpirabant, remanebat ſolus Pater hęres ab inteſtato, qui reſtituendo Duciſſæ hæreditatem vigore clauſulæ Codicillaris, non poterat detrahere, niſi unam quartam, legitimam nimirum, vel Trebellianicam ad ejus electionem. Unde cùm pinguiorem detractionem legitimæ elegerit, non erat facienda mentio de trebellianica, quæ ex fideicommiſſo iterum nequibat detrahere, Rota *dec. 66. n. 2. p. 1. dec. 111. n. 4. & ſeq. p. 3. rom. 2. & dec. 303. num. 19. & ſeq. p. 14. rec.* Et Pater detrahendo legitimam dicitur etiam detraxiſſet trebellianicam, & è converſo juxta communem ſententiam omnium, & ſignanter Jaſon. *in l. filium, quem habentem nu. 6. & 7. C. famil. erciſc.* Gail. *obſerv. 121. ſub nu. 4.* Manſ. *de legit. q. 58. n. 3.*

Nec hujuſmodi renunciatio ad beneficium Patris per fratres peracta, poteſt dici abdicativa, ſed evidenter tranſlativa. Ideoque juris detrahendi trebellianicam ipſis tantummodo competentis comprehenſiva, nam quidquid ſit ante delatam, & aditam hęreditatem, certi juris eſt, quod renunciatio hereditatis jam aditæ, non poteſt eſſe abdicativa cum ſemel hęres, non poteſt deſinere eſſe hęres, ideoque perneceſſe tranſlativa dici meretur juxta celebre conſilium Fabrii de Anna 45. *n. 1. l. 1.* quem ſequuntur Montan. *contr. 8. num. 58.* Donat. *de renunc. c. 50. n. 2. tom. 1. c. 44. n. 78. & ſequentibus, to. 2. cum aliis relatis* per Torr. *de pact. futur. ſucceſſ. lib. 2. c. 1. num. 45. & 46.*

Ex quibus deſumitur concludens dilemma, quod aut trebellianica fuit rectè detracta tanquam comprehenſa in legitima totius, & tali caſu non eſt facienda alia detractio, aut trebellianica, minus rectè detracta fuit, & uti exceſſivè detracta, cùm Domui Carbonianæ remanſerit duo tertii unius unciæ computatis trebellianica pro duabus unciis, & legitima uti tertia tertiæ pro uncia unica, & tertia unius unciæ, quod ad arguendum exceſſum detractionis inaniter ſcribentes pro Duciſſa magnificabant, & hoc caſu D. Duciſſa ſibi imputet, ſi adeo exceſſivam detractionem permiſerit, ne alias fideicommiſſum remaneat conſumptum ex triplici detractione per ea, quæ doctè animadvertit Gabr. *conſ. 94. ſub n. 18. l. 1.*

Allegatam verò nullitatem teſtamenti ipſo jure inductam procedere ſi in teſtamento Aſcendentis filius pręteréatur, ſecus verò ſi filius patrem pręteriit, aut alium aſcendentem, cùm tunc iſtorum arbitrio ſit approbare, vel rumpere teſtamentum DD. rejiciendum eſſe objectum putarunt, dum talis opinio reprobata fuit in toties allegata Romana ſeu Januen. legitimæ 28. Aprilis 1681. §. *Verum cum ſeqq.* confirmata 5. Aprilis 1683. & 10. Maji 1684. coram R.P.D. meo Matthejo.

Prout etiam exceptionem propoſitam, quod agatur de teſtamento filii emancipati, in quo patri præterito non datur quærela inofficioſi pro conſequutione legitimæ, ſi turpis perſona non fuerit inſtituta juxta diſpoſita *in l. Pantonius 3. in princ. ſupra alleg.* nam talis diſpoſitio hodie abrogata remanſit, dum ſublata differentia emancipationis, & Patriæ poteſtatis in jure noviſſimo authenticorum reſtituta eſt Parentibus emancipatis facultas contratabulandi etiam teſtamenta filiorum emancipatorum, ut reſpondit Rota in Rom. ſeu Januen. legitimæ 28. Aprilis 1671. §. *pariter non applicatur* cor. eodem R.P.D. Matthejo, præter quod in pręſenti hypotheſi nimis extranei dignoſcuntur termini pręcitati textus dum pater nullitatem teſtamenti in judicio deduxit, & à parte hujuſmodi nullitas agnita, & approbata fuit ex ſupra animadverſis.

Remota igitur partis ſuppoſitione, quod regulæ in principio de jure firmatæ inapplicabiles præſenti caſui reddantur, in nihilum obeſſe dignoſcebatur, quod ex tacita, ſive preſumpta teſtatoris voluntate limitationem pretenſam eædem recipere queant, & ſignanter ex prohibitione Trebellianicæ primo hęredi injuncta, & non autem ſecundo ex Salycet. Marcabr. & Cancer. *necnon ex conſ.* Dec. 226. punctualiter per informantes expenſo.

Nam eſto etiam quod teſtator inſtitutioni heredis injunxerit verba illa, *tota hæreditas*, & cum clauſula omni meliori modo in teſtamento adjecta, non exinde ſequitur, trebellianicam fuiſſe prohibitam hęredibus ab inteſtato gravatis reſtituere hęredi ſcripto in vim clauſulæ codicillaris in teſtamento nullo ex defectu præteritionis appoſitæ, ut in individuo articulo formiter diſcuſſo deciſum fuit in Rom. ſeu Januen. legitimæ 10. Martii præſentis anni cor. R.P.D. meo Matthejo.

Et verbum totum importat prohibitionem trebellianicæ, quando eſt appoſitum in gravamine, & verbis gravantibus ad reſtituendum, & in his terminis loquuntur omnes in contrarium allegati, ſecus quando eſt appoſitum in inſtitutione, ut in caſu de quo agitur, tunc enim non importat prohibitionem, cùm ſit de natura inſtitutionis, in qua ſemper apponitur, & quatenus eſſet omiſſum, ſemper intelligitur in hęreditate, quæ eſt ſucceſſio in univerſum jus juxta tex. *in l. hæreditas, ff. de reg. jur.* Alias per omnem inſtitutionem ſemper diceretur prohibita trebellianica.

Nil refrangante reſponſione quod vigore clauſulæ codicillaris verba obliquantur, & fideicommiſſum important, quia objectum procederet, ſi conſtaret expreſſe, vel tacite teſtatorem voluiſſe inducere prohibitionem hæredi ab inteſtato, ſed quando de tali voluntate non conſtat, nec expreſſe, nec tacite, prout in caſu, de quo agitur, tunc iſta obliquatio facit, quod hæres ab inteſtato ſit gravatus per fideicommiſſum reſtituere hęreditatem hęredi ſcripto deducto pro ſe trebellianica juxta text. clarum *in l. 2. in fine, ff. de jur. Codic.* ubi gloſ. *in l. falcidi*, explicat ideſt trebellianicæ, Altograd. *conſil. 69. numer. 69.* ubi quod gravatur reſtituere cum onere legali, nempe deducta Trebellianica, Reuſner. *de Codic. cap. 7. numer. 14. & 15. & alii ſupra allegatis in §. quod extra anſam.*

Ad inducendam enim prohibitionem trebellianicæ requiruntur verba; quæ alium effectum, vel ſenſum habere non poſſunt, ſecus autem quando alium ſenſum habere poſſunt, prout in hoc caſu, quæ tendunt ad convalidandam inſtitutionem, prout ſuperius fuit dictum, tunc nullo modo poteſt inferri prohibitio ut late fuit firmatum in Rom. ſeu Januen. legitimæ 10. Martii 1684. §. Hinc inter DD. orta fuit cor. R.D. Matthejo.

Ceſſante in facto hujuſmodi prohibitione fruſtra quęritur de effectu, quem operatur in jure, & tamen, quidquid dicendum eſſet in duobus cohæredibus directè inſtitutis, quo caſu prohibitio facta uni, non afficit alterum dum quilibet cohæres regulariter trebellianicam detrahit, ſecus eſt, quando agitur inter hęredem, & fideicommiſſarium, tunc enim ſufficit prohibitio facta hæredi abſque alia expreſſione, ut abſolutè prohibita omnibus dicatur, neque illius detractio fideicommiſſario competat, ut obſervant Petr. Greg. Toloſ. *in Syntag. Jur. p. 3. l. 42. tit. 31. numer. 14.* Simon. de Petr. *de interpret. ultim. vol. fol. 366. num. 24.* Andreol. *controv. 33. nu. 10. & 11.* Marcian. *conſil. 1. numer. 151.* Rota cor. Merlino *deciſ. 766. nu. 12. & 13.* Caſſan. *conſil. 67. ſub n. 69. 71. 73. in fin. & 74.*

Hinc propterea non adverſatur *conſ.* Decii 256. alias 257. reduplicatum inter conſilia Curtii Jun. nam omiſſio, quod reprobetur à Rota cor. Merlin. *dec. 230. num. 7.* & contra tale conſil. fuiſſe judicatum Papiæ teſtatur Alciat. *conſil. 99. nu. 7. vol. 9.* utique in illo caſu non poteſt aliter intelligi, quam quo hæredes ab inteſtato fuerint inſtituti ſimul cum filio legitimo. Ideoque cum in illo caſu non concurreret nullitas teſtamenti non poterat filius legitimatus eſſe Inſtitutus niſi cum aliis legitimis, & per conſequens dici hæres directus, non autem obliquus, prout in præſenti ut d. conſil. benè explicat Alciat. *dicto conſil. 99. ſub num. 6. & nu. 7. circa medium.*

Authoritati tandem Pręſidils de Philip. *in conſ. 46. ſub nu. 28.* quam unicè ſequitur 8. Bart. *de ſucc. ſupra alleg.* parum, ſeu nihil inniti poſſe DD. videbatur. Tum quia deficit illius applicatio in facto, & in jure nil relevat. In facto enim dum in præſenti non intrat quæſtio, an ſecundus hæres poſſit trebellianicam detrahere, non detractam à primo; dum ex ſuperius animadverſis in integro triente Patri pręterito relicto trebellianica comprehenſa dignoſcitur, ideoque detracta remanſit. In jure verò non relevat, dum ille ſe fundat in text. *l. 1. §. deinde, ff. ad trebel.* qui loquitur quando hæres gravatus trebellianicam non detraxit in gratiam fideicommiſſarii erga quem voluit exercere libertatem, quæ qualitas non concurrit in præſenti caſu, ex quo reſtitutio non fuit facta amico, ſeu dilectiſſimo, ſed potius extraneo, & diu cum herede litigante; Ideoque trebellianica nunquam cenſetur donata in beneficium primi fideicommiſſarii, & in diminutione, ſeu præjudicium ſecundi, ad tradita per Peregrin. *de fideic. art. 3. n. 6.* Sim. de Pręt. *de interpr. ult. vol. fol. 367. ſub n. 28. poſt med.* Fachin. *contr. jur. lib. 5. cap. 7. verſ. ſed contrarium cum ibi alleg.*

Admiſ-

Admiſſa igitur impoſſibilitate, ſeu incompetentia detractionis trebellianicæ per D. Duciſſam facienda ſupervacaneum DD. viſum fuit aggredi queſtionem, An fructus ab ipſa percepti in hujuſmodi detractionem imputentur, & an ipſa heres proprietaria, ſeu potius ſimplex uſufructuaria ex verbis teſtamenti in ſecundo caſu ſupra relatis dignoſceretur.

Et ita pro inſubſiſtentia alienationum in cauſam trebellianicæ, & in perſonam Excellentiſſimi Viri factam reſponſum fuit utraque Parte acriter informante.

REV. D. ALBERGATO DECANO.

Romana Trebellianicæ.

Lunæ 19. *Februarii* 1685.

INhærentes Domini fundamentis deciſionis editæ cor. Me 23. Junii anni proxime elapſi, iterum cenſuerunt alienationes bonorum hereditariorum clar. mem. Ducis Baſſanelli in Excellentiſſimum D. Ducem Guadagnoli per D. Duciſſam Uxorem, & reſpectivè illius heredem ſcriptam factas ex cauſa trebellianicæ ſuper prefata hereditate ab ipſa pretenſæ nullatenus ſubſtineri, ex quo detractioni hujuſmodi Quotæ nullus ſubeſſe poterat locus, dum prefata Duciſſa uti heres ſcripta in teſtamento nullo ob preteritionem Patris ipſius teſtatoris hæres dumtaxat obliqua dici mereretur in vim clauſulę Codicillaris dantis reſtitutionem hereditatis hæredi ſcripto, ideoque uti talis efficitur incapax hujuſmodi detractionis; quæ dumtaxat primo heredi gravato competit ex authoritatibus in preterita mea deciſione ſub §. quod extra anſam, congeſtis.

Nec hujuſmodi regulæ in preſentia applicabilis videbatur limitatio alias à ſcribentibus pro D. Duciſſa, hodie non informante allata quod catenus beneficium hujuſmodi detractionis auferatur heredi ſcripto quatenus ex tacita, ſive preſumpta teſtatoris voluntate permiſſio detractionis non inducatur, quæ ab ipſius prohibitione primo heredi facta inferatur, itaut iſta operetur permiſſionem detractionis à ſecundo herede faciendam juxta theoricam Salyc. *in penult. in fine, C. ad trebell.* & tradiderunt Surd. *conſ. 522. ſub n. 8.* Marcabr. *conſ. 81. ſub n. 67.* cum aliis per Cancer. *var. reſ. p. 1. cap. 2. ſub n. 31. alleg.*

Nam ex facto ceſſare videbatur hujuſmodi limitatio. Præmiſſo enim quod ad inducendam hujuſmodi prohibitionem, quando hæc literalis, & expreſſa non dignoſcatur, talia verba concurrere debeant, quæ per neceſſe eamdem tacite inducant, itaut ſi hujuſmodi verba aliquem capiant contrarium intellectum, ac in alio ſenſu, & caſu verificari queant nullam inferre poſſint tacitam prohibitionem trebellianicæ, ut latè ceteris cumulatis tenuit Altogr. *conſ. 69. à n. 4. uſque ad 7. ac n. 24. & ſeqq. l. 2.* & Rota coram Benia, *deciſ. 1634. ſub n. 6.* & Coram Cocc. *deciſ. 67. ſub n. 2. p. 1. & deciſ. 203. ſub n. 6. p. 4. tom. 1. & dec. 279. nu. 6. p. 14. rec.* & coram Rev. P.D. Matthejo in Spoletana hereditatis de Ranaldis 8. Aprilis 1680. §. *Neutra ex his, & coram eodem in dec.* Romana ſeu Januen. legitimæ 10. Martii 1684. *ſub §. Hinc inter, & ſeq.*

In preſenti hypotheſi litera, ſeu verba teſtamenti id prorſus ſuadere non poterant, inibi enim Dux teſtator expreſſit: *Et in tutta la mia Eredità inſtituiſco, faccio, voglio, che ſia, e con la mia propria bocca nomino, di mia propria mano ſcrivo mia Erede univerſale la Signora Donna Lucrezia Colonna mia dilettiſſima Conſorte, alla quale laſcio tutta la mia Eredità nel ſudetto, & in ogni altro meglior modo* -- quæ ſane verba expreſſam prohibitionem non inferunt, minuſve tacitam ex illa dictione -- *in tutta la mia Eredità*, -- & cum clauſula -- *In ogn'altro meglior modo* -- nam verbum totum importat prohibitionem, quando eſt appoſitum in gravamine, ac in verbis gravantibus ad reſtituendum, ſecus verò quando eſt adjectum ſoli inſtitutioni, etiam ſi eidem concomitetur clauſula -- *omni meliori modo* -- Cum hęc nihil plus operetur quam quod fuerit prius expreſſum, ad tradita per Grat. *diſcept. for. 764. ſub n. 15. & ſeq.* per Ruin. *conſil. 9. num. 9. vol. 5.* Rota cor. Verallo *dec. 124. per tot. p. 1. ac in terminis* cor. R.D. meo Matthejo in allegata Rom. ſeu Januen. legitimæ *ſub §. Hinc cum, & ſeq. & in præterita mea, dec. ſub §. Nam eſto etiam, cum ſeq.* ubi quod cum hujuſmodi verba ſint de natura inſtitutionis, ſemper in eadem apponuntur, alias enim per omnem inſtitutionem ſemper diceretur prohibita trebellianica.

Non relevante quod effectus clauſulæ codicillaris reddat verba inſtitutionis obliqua, & fideicommiſſum reſtitutorium inducat, ideoque diſpoſitio in inſtitutione adjecta reſtitutioni itidem per hujuſmodi clauſulam adaptetur, & conſequenter tacita prohibitio concurrat, nam objectum procederet ſi expreſſa, vel tacita induceretur prohibitio heredi ab inteſtato, ſed quoties de hujuſmodi voluntate, nec tacita, nec expreſſa conſtet, tunc eadem obliquatio operatur, quod heres ab inteſtato gravatus dicatur reſtituere hereditatem per fideicommiſſum heredi ſcripto deducta pro ſe trebellianica, cum iſte gravetur reſtituere cum onere legali, nempè deducta ejus quota, juxta text. *in l. 2. in fin. ff. de Jur. Codicil.* ibique gl. *in l. falcidia*, & pluribus congeſtis tradit Altograd. *conſ. 69. ſub n. 90.* Caſsant. *conſ. 67. ſub n. 73. in fin. & 74.* cum aliis congeſtis in preterita mea deciſione *ſub §. quod extra, & §. nil refragante.*

Aliud æque principale fundamentum preteritæ deciſionis Domini approbarunt, quod hujuſmodi quota ad beneficium D. Duciſsæ detrahi non poſset, dum à primis heredibus, nempè Fratribus defuncti Ducis, qui inſimul cum Patre inteſtatam ſucceſſionem agnoverunt, actualiter fuerit detracta. Ipſi enim ad impinguandam legitimæ Patris, cuicumque Juri ipſis competenti ſuper agnita hereditate renunciarunt, & eandem legitimam ad integrum Trientem hereditatis auxerunt, juxta conſilium eiſdem Fratribus ad Advocato tunc in Urbe Primario traditum, qui ad limites opinionis ab hoc noſtro Tribunali ſequutæ provide dubitavit, quod legitima Patri, ſeu alio aſcendenti deferenda in caſu iſtius preteritionis, & in concurſu heredum æqualiter cum Patre ab inteſtato conſuccedentium, ad tertiam tertiæ reduceretur, ut dictum fuit in celebri Rom. ſeu Januen. legitimæ cor. R.P.D. meo Matthejo; Exinde enim neceſſario ſequitur, quod trebellianicæ detractio fuerit unica vice conſumpta, ſtante hujuſmodi renunciatione à fratribus per acta, cujus vigore aucta fuit legitima Patri. Unde inſurgit concluſio, quod ſucceſſiva, & nova detractio neutiquam permitti poteſt, dum bona fides, quam heredes gravati, & Judices ſervare debent erga fideicommiſſa, nunquam patiantur, quod detractiones ſemel factę à primis gravatis, iterum fieri poſſint, ſeu valeant à ſecundis argum. text. *in l. bona fides, ff. de reg. jur.* Rot. *dec. 389. ſub nu. 4. & 5.* cor. Greg. XV. *deciſ. 88. ſub n. 12. & dec. 185. ſub nu. 7.* cor. Duran. *& dec. 347. ſub n. 1.* cor. R.P.D. Priolo.

Nec Dominis viſum fuit prodeſſe id, quod pro D. Duciſſa in preterita propoſitione afferebatur, quod ex quo omiſſum fuerit nomen trebellianicæ in eadem tranſactione, totum id, quod Domui Carboneanæ, ſeu Principi Patri relictum fuerit, ceſſiſſet in cauſam legitimæ. Ideoque nihil aliud, quam pura legitima detracta dignoſcatur, nam premiſſa reſponſione in præterita mea deciſione hujuſmodi objecto data, quod dum Fratres Ducis defuncti ob intermediã renunciationem amplius ad ſucceſſionem non aſpirarent, ideoque ſolus Pater inteſtatus heres extiterit, ille reſtituendo Duciſſæ vigore clauſulæ codicillaris agnitam hereditatem voluit ſibi pinguiorem detractionem legitimæ eligere, in cujus poteſtate erat eandem quotam, vel trebellianicam detrahere, nulla exinde facienda eſſet mentio de trebellianica, quæ iterum ex fideicommiſſo non poterat detrahi, juxta allegata per Rot. *dec. 333. ſub n. 19. & ſeq. p. 14. rec.* & ſic detrahendo legitimam dicitur etiam trebellianicam detraxiſſe, juxta allegata per Manſ. *de legit. q. 57. ſub n. 3.* & per alios in præterita mea *dec. ſub §. non obſtante*, adductos.

Urget ſemper alia reſponſio, quod per hujuſmodi renunciationem ad Beneficium Patris per Fratres peractam, uti evidenter tranſlativam Jurium ipſius dumtaxat competentium; Ideoque comprehenſivam tantummodo juris detrahendi ipſorum quotam, quæ in Trebellianica conſiſterat, per neceſſe inferri debet, quod Trebellianica in ipſo triente totius hereditatis detractio incluſa dici mereatur, etiam abſque expreſſione Trebellianicæ, in renunciationem hæreditatis jam aditæ abdicativam dici velimus contra regulam, quod ſemel heres, numquam deſinat eſſe hæres, ut in his terminis tradiderunt allegati per Donad. *de renunc. capit. 59. ſub numer. 2. tom. 1. & cap. 44. numer. 78. & ſequentibus tom. 2.* cum aliis adduct. *in §. nec hujuſmodi dec. cauſæ* coram me editæ.

Minus relevans dignoſcebatur altera replicatio, quod etiam ſuppoſita teſtamenti Ducis Stephani contratabulatione, adhuc tamen ejuſdem ruptura convalidata extitit ex ſubſequuta tranſactione inter ipſam, & Domum Carboneanam facta, in qua expreſſe colligitur contrahentium mentem, & ſignanter Patris preteriti fuiſſe approbare teſtamentum filii, ideoque & D. Duciſſa remanſerit heres primo inſtituta, & conſequenter nulli alio debita erat controverſæ quotę detractio, nam hoc repugnaret nimis apertè regulæ, & indu-

bita-